FASCICULUS MELLIFLUARUM PRECATIONUM.

Ex variis approbatis Authoribus

COLLECTUS.

In usum piorum Catholicorum.

Superiorum permissu.



Insulae Vigrensis

Typis MONASTERII OLIVENSIS, Sac. Ord. Cisterc.
Imprimebat CHRISTIANUS Koch.
ANNO M DC LXXVIII.

Ex Libris Andreae

FACULTAS
LOCI ORDINARII.

Libellus cui titulus est (*Fasciculus mellifluarum Precationum*) cùm nihil Religioni Catholicæ contrarium contineat, sed ex aliis jam approbatis & usitatis libellis precariis in optimam formam concinnatus, atque ad promovendam fidelium devotionem apprimè utilis sit: idcircò, ut Typis Monasterii Olivensis in publicum prodeat, petitam concedimus Facultatem præsentibus. Datum Gedani 22. Decemb. Anno 1678.

JOACH. PASTORIUS,
Prot. Apost. Can. Chelm. Dec. Paroch. & Official. Ged. & Pomer. Generalis, Præpos. ad S. Albertum, S. Reg. M. Secretarius.

S. BERNARDUS
Abbas Clarevallensis.
Serm. 5. in Quadrag.

NEmo vestrûm Fratres parvi pendat Orationem suam: Dico enim vobis, quia ille ad quem oramus, non parvi pendit eam. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse jubet eam scribi in libro suo, & indubitanter unum è duobus possumus sperare: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod noverit nobis utilius esse. Nos enim quod oremus, sicut oportet, nescimus, sed miseretur ille super ignorantiam nostram, & orationem benignè suscipiens, quod nobis aut omninò non est utile, aut non tam citò dari necesse est, minimè tribuit: oratio tamen infructuosa non erit. Quare non habes unde causeris, sed unde magis toto affectu in gratiarum actione verseris: quandoquidem tanta super te cura est Deo tuo, ut quoties ignorans quæris, quod tibi inutile est, non te audiat super hoc, sed mutet hoc in utilius donum. Sic & Pater carnalis parvulo quærenti panem, porrigit libenter: sed quærenti cultellum, quem nocivum putat, non consentit. Hæc Bernardus loco citato.

EXER-

EXERCITIUM QUOTIDIANUM.

Cum mane surgis muniens te signo S. Crucis Dic.

IN Nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

JESUS NAZARENUS REX Judeorum, Titulus triumphalis, defendat nos ab omnibus malis, sancte DEUS, sancte fortis, sancte immortalis, miserere nobis.

Benedicta sit sancta & individua Trinitas nunc & semper & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Adjutorium nostrum in Nomine Domini, qui fecit Cœlum & terram.

SPIRITUS Sancti gratia, illuminare dignetur sensus & corda nostra.

Ad Beatam Virginem.

MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. In omni tribulatione & angustia nostra, succurre nobis Beatissima Virgo MARIA Amen.

Ad S. Angelum Custodem.

Angele Dei qui Custos es mei me tibi commissum pietate superna hac die illumina, custodi, rege & guberna Amen.

Inter lavandum.

O Misericordissime Domine JESU lava me obsecro in sacrosancto sangvine tuo ab omnibus peccatis, ut puro & humili corde tibi serviam, & amore perpetuo te semper diligam. Amen.

Confessio Generalis.

Confiteor DEO Omnipotenti, Beatæ MARIÆ semper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo omnibus Sanctis & tibi Pater quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere, mea culpa, mea culpa

culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatam Mariam ſemper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum omnes Sanctos & te Pater orare pro me ad Dominum DEUM Noſtrum.

Miſereatur noſtri omnipotens Deus & dimiſſis omnibus peccatis noſtris, perducat nos ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, abſolutionem, & remisſionem peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens & miſericors Deus. Amen

Hymnus Matutinus.

Jam Lucis orto ſydere,
Deum precemur ſupplices:
Ut in diurnis actibus,
Nos ſervet à nocentibus.
Lingvam refrenans temperet:
Ne litis horror inſonet.
Viſum fovendo contegat:
Ne vanitates hauriat.
Sint pura cordis intima,
Abſiſtat & Vecordia.
Carnis terat ſuperbiam:
Potus cibiq; parcitas.

Ut cùm dies abscesserit
Noctemq; sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.
DEO Patri sit gloria
Ejusq; soli Filio
Cum Spiritu Paraclito
Et nunc & in perpetuum. Amen.

Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire, miserere nostri Domine miserere nostri. Fiat misericordia tua Domine super nos quemadmodum speravimus in te.

Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti. Tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia dirigantur cogitationes & opera. Amen.

DIrigere, & sanctificare, regere, & gubernare digneris Domine Deus, Rex cœli

&

& terræ hodie corda, & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros, in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut hic, & in æternum te auxiliante, ſalvi, & liberi eſſe mereamur, Salvator mundi, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ad Jeſum Chriſtum.

DOmine JESU Chriſte Fili DEI vivi, Redemptor & Salvator mortalium, credo & confiteor te, cùm homo factus eſſes Sangvinem Tuum ſacroſanctum Æterno Patri obtuliſſe in Cruce pro me & humano genere univerſo. Qua de cauſa tibi ex toto corde gratias ago.

Pater Noſter. Ave Maria.

OFfero tibi Domine JEſu Chriſte corpus, & animam meam. Cuſtodi me precor, hodierno die ab omni peccato & concede gratiam ad laudem tuam omnia feliciter auſpicandi & abſolvendi.

Pater N. Ave Maria.

DOmine JESU Chriſte commendo tibi Sanctam Eccleſiam ac totius mundi populum, cum Catholicis omnibus ac defun-

ctis. Commendo præterea meos Parentes, Fratres, Sorores, Benefactores, Amicos, & alios pro quibus orare debeo. His omnibus peto à te gratiam, perfectionem assiduam, vitamquè æternam dari. Domine JESU miserere mei, ac peccatorum omnium.

Pater N. Ave Maria.

Ad Deiparam Virginem.

SAluto te gloriosa Mater & Regina Cœli, Patrona mea singularis: tuæquè Maternæ pietati me hodierna die commendo, ut ad Filii tui gratiam & ad salutem meam proximique commodum, omnia quæ facturus sum, ritè instituantut atque absolvantur.

Cùm mane, meridie, & vesperi, Salutationis Angelicæ signum datur. Dic.

Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu S.

Ave Maria. &c.

Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.

Ave Maria. &c.

Et Verbum Caro factum eſt & habitavit in nobis.

Ave Maria &c.

Oratio.

GRatiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde, ut qui Angelo nunciante Chriſti Filii tui incarnationem cognovimus, per Paſſionem ejus & Crucem ad Reſurrectionis gloriam perducamur. Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen

Benedictio menſæ pro ſæcularibus.

Verſ. Benedicite. *Reſp.* Benedicite.

BEnedic Domine nos & hæc dona quæ de tua largitate ſumus ſumpturi. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Gratiarum Actio poſt menſam.

Verſ. Benedicamus Domino.
Reſp. Deo gratias.

AGimus tibi gratias omnipotens DEUS pro univerſis beneficiis tuis. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum Amen.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater Noster. &c.

Vers. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Oratio.

RETribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus, propter Nomen Sanctum tuum vitam æternam. *Resp.* Amen.

Exercitium Vespertinum ante somnum.

Examen Conscientiæ quinque puncta complectens.

1. Domino Deo nostro pro beneficiis acceptis gratiæ agendæ sunt.

2. Ab eodem pro cognitione & expulsione peccatorum gratia efflagitanda est.

3. De admissis præsenti die peccatis ratio ab anima nostra exigenda est per horas singulas, ex quo surreximus vestiendo. Et primò quidem circa cogitationem deinde circa loquelam atque operationem.

4. Expetenda est venia de delictis.

5. Proponenda est Dei gratia ratio amplius non peccandi.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde junctis manibus, Dic.

Benedicta sit sancta & individua Trinitas, nunc & semper & per infinita sæcula sæculorum.

Pater N. Ave Maria. Confiteor. &c.

Hymnus.

TE *lucis ante Terminum*
Rerum Creator poscimus,
Ut solita Clementia
Sis præsul ad custodiam.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata
Hostemq́; nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præsta Pater omnipotens,
Per JEsum Christum Dominum,
Qui tecum in perpetuum
Regnat cum sancto Spiritu. Amen.

Antiphona.

Salva nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace.

Vers. Custodi nos Domine ut pupillam oculi.

Resp. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Dignare Domine nocte ista sine peccato nos custodire, miserere nostri Domine miserere nostri, Fiat misericordia tua Domine super nos quemadmodum speravimus in te.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

VIsita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longe repelle. Angeli tui sancti habitent in ea qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Angele Dei qui custos es mei me tibi commissum pietate superna hâc nocte illumina, custodi, rege, & guberna, Amen.

Benedicat & custodiat nos omnipotens & misericors Dominus Pater † & Filius † & Spiritus Sanctus, † qui nobis noctem quietam & finem perfectum concedat. Amen.

MAria Mater gratiæ
Mater misericordiæ
Tu nos ab hoste protege
Et horâ mortis suscipe.

Gloria

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre & ſancto Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Oratio devotiſſima.

ANima Chriſti ſanctifica me. Corpus Chriſti ſalva me. Aqua lateris Chriſti lava me. Paſſio Chriſti conforta me. O bone JESU exaudi me. Intra vulnera tua abſconde me. Et ne permittas me ſeparari à te. Ab Angelo maligno defende me. In hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Angelis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum. Amen.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis. In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Amen.

GRATIARUM ACTIONIS

Hymnus S. Ambroſii & Auguſtini.

TE Deum laudamus, te Dominum Confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi cæli & univerſæ Poteſtates.

Tibi Cherubim & Seraphim, inceſſabili voce proclamant,

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt cæli & terra Majeſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum Chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum Candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia.

Patrem immenſæ Majeſtatis.

Venerandum tuum verum & unicúm Filium.

Sanctum quoque paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Chriſte.

Tu Patris ſempiternus es Filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis Uterum.

Tu devicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes in gloria Patris.

Judex crederis eſſe venturus.

Te ergo quæſumus tuis famulis ſubveni: quos pretioſo ſangvine redemiſti.

Æterna

Æterna fac cum ſanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine, & hæreditati tuæ.

Et rege eos & extolle illos uſque in benedic æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere Noſtri Domine miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos quemadmodum ſperavimus in te.

In te Domine ſperavi non confundar in æternum.

Verſ. Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu.

Reſp. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.

Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus cujus miſericordiæ non eſt numerus & bonitatis infinitus eſt theſaurus piiſſimæ Maj. tuæ pro collatis donis gratias agimus tuam ſemper clementiam exorantes & qui petentibus poſtulata cõcedis eosdem non deſerens ad præmia futura diſponas. Per D. &c. *Verſ.* Domine exaudi. *Verſ.* Bened. Deo gratias.

OFFI-

OFFICIUM S. SPIRITUS.
AD MATUTINUM.

Vers. Spiritus Sancti gratia illuminet sensus & corda nostra. *Resp.* Amen.

Vers. Domine labia mea aperies.

Resp. Et os meum annunciabit laudem tuam.

Vers. Deus in adjutorium meum intende.

Resp. Domine ad adjuvandum me festina Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper & in sæcula sæculorum Amen. Alleluja.

A Septuagesima usque ad Pascha dicitur loco Alleluja. Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.

Hymnus.

Nobis Sancti Spiritus gratia sit data,
De qua Virgo Virginum fuit obumbrata,
Cùm per Sanctum Angelum fuit salutata,
Verbum Caro factum est, Virgo fæcundata.

Antiphona.

Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Verſ. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.
Reſp. Et renovabis faciem terræ.

Oratio.

ADſit nobis quæſumus Domine virtus Spiritus Sancti, quæ & corda noſtra clementer expurget & ab omnibus tueatur adverſis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, Per omnia ſæcula ſæculorum.
Reſp. Amen.

AD PRIMAM.

Verſ. Spiritus Sancti. &c.
Verſ. Deus in adjutorium meum intende.
Reſp. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri & Filio. &c.

Hymnus.

DE Virgine Maria Chriſtus fuit natus,
Crucifixus, mortuus atq; tumulatus.
Reſurgens Diſcipulis fuit demonſtratus
Et ipſis cernentibus in cælos eſt elevatus.

Antiphona. Veni Sancte Spiritus. &c.
Verſ. Emitte Spiritum tuum &c. *Oratio* Adſit nobis. &c. ut ſupra.

AD TERTIAM.

Vers. Spiritus Sancti. &c. Vers.
Deus in adjutorium meum intende. &c.
Gloria Patri. &c.

Hymnus.

SUum *sanctum Spiritum Deus delegavit,*
In die Pentecostes Apostolos confortavit,
Et de lingvis igneis ipsos inflammavit,
Relinquere orphanos eos denegavit.

Antiph. Veni sancte. *Vers.* Emitte Spiritum. &c. *Orat.* Adsit nobis. &c: ut supra.

AD SEXTAM.

Vers. Spiritus Sancti &c. Versus.
Deus in adjutorium. &c. Domine ad. &c.
Gloria Patri. &c.

Hymnus.

SEptiformem *gratiam tunc acceptaverunt,*
Quare idiomata cuncta cognoverunt,
Ad diversa climata mundi recesserunt,
Et fidem Catholicam tunc prædicaverunt.

Antiph. Veni Sancte Spiritus. *Vers.* Emitte Spiritum tuum. &c. *Oratio.* Adsit nobis quæsumus. &c. ut supra.

AD NONAM.

Verſ. Spiritus ſancti. &c. Verſus.

Deus in adjutorium. &c. Domine ad adjuv. &c. Gloria Patri. &c.

Hymnus.

Spiritus Paraclitus fuit appellatus
Donum Dei, charitas, fons vivificatus
Spiritâlis Unctio ignis inflammatus,
Septiformis gratia chariſma vocatus.

Antiph. Veni ſancte &c. *Verſ.* Emitte &c. *Oratio* Adſit nobis &c. ut ſupra.

AD VESPERAS.

Verſ. Spiritus ſancti &c. *Verſus.*

Deus in adjutorium &c Domine ad adjuvandum. Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

Dexteræ Dei digitus, virtus ſpiritâlis
Nos defendat, eruat ab omnibus malis;
Ut nobis non noceat dæmon infernalis,
Protegat & nutriat, foveat ſub alis.

Antiph. Veni ſancte &c. *Verſ.* Emitte &c. *Oratio* Adſit nobis ut ſupra.

AD COMPLETORIUM.

Verſ. Spiritus ſancti &c.

Verſ. Converte nos Deus ſalutaris noſter.

Reſp. Et averte iram tuam à nobis.

Vers. Deus in adjutorium meum intende,
Resp. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

SPiritus Paraclitus nos velit juvare,
Gressus nostros regere & illuminare:
Ut cùm Deus venerit omnes judicare,
Nos Velit ad dexteram omnes appellare.

Antiphona. Veni sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium & tui amoris in eis ignem accende.

Vers. Emitte Spiritum tuum & creabuntur,

Resp. Et renovabis faciem terræ.

Oremus.

ADsit nobis quæsumus Domine virtus Spiritus sancti quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum nostrum &c.

Commendatio.

HAs horas canonicas cum devotione,
Tibi sancte Spiritus pia ratione
Dixi, ut nos visites inspiratione,
Et vivamus jugiter in cœli regione. Amen.

OFFI-

OFFICIUM.
De Immaculata Concept. B. V. Mariæ.

AD MATUTINUM.

Vers. Eia mea labia nunc annunciate,
Resp. Laudes & præconia Virginis Beatæ.
Vers. Domina in adjutorium meum intende,
Resp. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto &c.

Hymnus.

Salve mundi Domina,
Cælorum Regina,
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.
Salve plena gratiæ;
Clara lux Divina;
Mundi in auxilium
Domina festina.
Ab æterno Dominus
Te præordinavit,
Matrem Unigeniti
Verbi, quo creavit,

Terram, pontum æthera,
Te pulchram ornavit
Sibi Sponsam, ut in qua
Adam non peccavit.

Vers. Elegit eam DEUS & præelegit eam.

Resp. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

Vers. Domina exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

SAncta Maria Regina cœlorum Mater Domini nostri JESU Christi & mundi Domina, quæ nullum derelinquis, & nullum despicis: respice me Domina clementer oculo tuo pietatis & impetra mihi apud tuum dilectum Filium veniam cunctorum peccatorum, ut qui nunc tuam sanctam conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis tuæ bravium capiam, ipso quem Virgo peperisti donante Domino nostro JEsu Christo qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in Trinitate perfecta DEUS in sæcula sæculorum, Amen.

Vers.

Vers. Domina exaudi orationem meam,
Resp. Et clamor meus ad te veniat,
Vers. Benedicamus Domino.
Resp. Deo gratias.
Vers. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.
Resp. Amen.

AD PRIMAM.

Vers. Domina in adjutorium &c. ut supra.

Hymnus.

Salve Virgo sapiens,
Domus Deo grata,
Columna septemplici
Mensaq́ exornata.
Ab omni contagio
Mundi præservata,
Ante sancta in utero
Parentis quam nata.
Tu Mater viventium,
Et porta Sanctorum,
Nova stella ex Jacob,
Domina Angelorum,
Zabulo terribilis,
Acies castrorum,
Portus & refugium
Sis Christianorum.

Vers. Ipse creavit illam in Spiritu sancto,
Resp. Et effudit illam super omnia opera sua.
Vers. Domina exaudi orationem meam,
Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ut supra.

AD TERTIAM.

Domina in adjutorium &c.

Hymnus.

Salve Arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,
Rubus visionis.
Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis,
Porta clausa Numinis,
Et favus Samsonis.
Decebat tam nobilem,
Natum præcavere
Te ab originali
Labe Matris Evæ,
Almam, quam elegerat,
Genitricem vere,
Nulli prorsus patiens
Culpæ subjacere,

Verſ. Ego in altiſſimis habito,
Reſp. Et thronus meus in columna nubis.
Verſ. Domina exaudi orationem meam,
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ut ſupra.

AD SEXTAM.

Domina in adjutorium &c.

Hymnus.

SAlve o puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis.
Solamen mærentium,
Hortus voluptatis,
Palma Patientiæ,
Cedrus caſtitatis,
Terra es benedicta
Et Sacerdotalis,
Sancta, atque immunis
Culpæ originalis.
Civitas altisſimi,
Porta orientalis,
In te eſt omnis gratia,
Virgo ſingularis.

Vers. Sicut lilium inter spinas,
Resp. Sic amica mea inter filias Adæ.
Vers. Domina exaudi orationem meam,
Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ut supra.

AD NONAM.

Domina in adjutorium &c.

Hymnus.

SAlve urbs refugii,
Turrisq; munita
David, propugnaculis
Armisq; insignita
Tu in conceptione
Charitate ignita,
Infernalis potestas
Est à te contrita.
Eia mulier fortis,
Et invicta Judith,
Pulchra Abisai Virgo,
Verum fovens David.
Rachel procuratorem
Ægypti gestavit;
Sed Saluatorem mundi
Maria portavit.

Vers. Tota pulchra es amica mea,
Resp. Et macula originalis nunquam fuit in te.
Vers. Domina exaudi orationem meam,
Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

Domina in adjutorium &c.

Hymnus.

Salve herologium
Quo retro trahatur,
Sol in decem lineis
Verbum incarnatur,
Homo ut ab inferis
Ad summa tollatur;
Immensus ab Angelis
Paulo minoratur:
Solis hujus radiis
Maria coruscat,
Et consurgens aurora,
In conceptu micat;
Lilium inter spinas,
Quæ serpentis terat
Caput; pulchra ut Luna
Errantes collustrat.

Vers. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens,
Resp. Et quasi nebula texi omnem terram.
Vers. Domina exaudi orationem meam,
Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

Vers. Convertat nos Domina tuis precibus placatus JESUS Christus Filius tuus,
Resp. Et divertat iram suam à nobis.
Vers. Domina in adjutorium meum intende,
Resp. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

SAlve Virgo Nobilis,
Mater illibata,
Regina clementiæ,
Stellis coronata,
Supra omnes Angelos
Pura, im[illegible]

Atq; ad Regis dexteram
Stans veste deaurata.
Per te Mater Gratiæ,
Dulcis spes reorum,
Refulgens stella maris,
Portus naufragorum,
Patens cœli janua,
Salus infirmorum,
Videamus Triadem
In aula Sanctorum.

Vers. Oleum effusum Maria Nomen tuum.
Resp. Servi tui dilexerunt te nimis.
Vers. Domina exaudi orationem meam,
Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio cum reliquis ut supra.

Commendatio.

SUpplices offerimus
Tibi Virgo pia
Has horas Canonicas,
Fac nos ut in via,
Ducas cursu prospero.
Et in agonia
Præsens nobis Assiste,
O dulcis Maria. Amen.

Antiph. Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis nec cortex actualis culpæ fuit.

S. Ambroſius.

Verſ. In conceptione Virgo immaculata fuiſti.

Reſp. Ora pro nobis Patrem cujus Filium peperiſti.

Oremus.

DEUS qui per immaculatam Virginis conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti, quæſumus; ut ſicut ex morte ejusdem Filii tui præviſa, eam ab omni labe præſervaſti, ita nos quoque mundos ejus interceſſione ad te pervenire concedas: Per eundem Dominum Noſtrum, &c.

OFFI-

OFFICIUM PARVUM S. JOSEPHI.

AD MATUTINUM.

JEſus, Maria, Joſeph.

Domine labia &c. Deus in adjutorium &c. Gloria &c.

Hymnus.

Joſeph David Filius clarâ ſtirpe natus,
JEſu Chriſti Domini Pater nuncupatus,
Deſponſatus Virgini mente copulatus,
Utriusq; cuſtos cælo deſtinatus.

Antiphona. Salve Patriarcharum decus & Eccleſiæ ſanctæ Dei Oeconomus, qui panem vitæ & frumentum electorum conſervaſti.

Verſ. Ora pro nobis S. Joſeph.
Reſp. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oratio.

SAnctiſſimæ genitricis tuæ ſponſi quæſumus Domine meritis adjuvemur, ut quod poſſi-

possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus S. Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

AD PRIMAM.

JEsus, Maria, Joseph.

Deus in adjutorium &c. Gloria Patri &c.

Hymnus.

TU qui Sponsam gravidam dolens cùm videres
Cogitabas an eam posthac retineres
Sed cœlestis monitor ne tantum timeres,
In somnis admonuit ut magis gauderes.

Antiphona, Versus & Oratio, ut supra.

AD TERTIAM.

JEsus, Maria, Joseph.

Deus in adjutor. &c. Gloria Patri &c.

Hymnus.

BEthlehem profectus censum soluturus,
Cum prægnante Virgine ubi nasciturus,

Erat mundi Dominus quiq; mox facturus
Ut ipsum infantulum esset amplexurus.

Antiphona, Versus & Oratio ut supra.

AD SEXTAM.

JEsus, Maria, Joseph.

Deus in adj. &c. Gloria Patri &c.

Hymnus.

CUm atrox in pueros Herodes sæviret,
Gabrielis monitu amplius ne dormiret,
Retulisti Sponsæ ut tecum veniret,
Et accepto parvulo in Ægyptum iret.

Antiphona, Versus, & Oratio ut supra.

AD NONAM.

JEsus, Maria, Joseph.

Deus in adj. &c. Gloria Patri. &c.

Hymnus.

HOstibus jam defunctis inde recessisti,
Et in Galilæam tecum reduxisti,
Puerum & Mariam sicut didicisti:
Cœlitus & Nazareth humilis vixisti.

Antiphona, Versus Oratio ut supra.

AD VESPERAS.

JEsus, Maria, Joseph.

Deus in adj. &c. Gloria Patri &c.

Hymnus.

TU JEsum duodecim jam factum annorum,
Perdidisti tuorum lumen oculorum
Sed posthac in medio inventum Doctorum,
Custodisti sedulus Regem Angelorum.

Antiphona, Versus, Oratio ut supra.

AD COMPLETORIUM.

JEsus, Maria, Joseph.

Vers. Converte nos Deus salutaris noster,
Resp. Et averte iram tuam à nobis.

Deus in adj. &c. Gloria &c.

Hymnus.

FElix quem in ulnis JEsus cum Maria,
Tenuit cubantem dum in agonia
Spiritum efflares, ut directâ viâ
Tenderes ad Patres functus vitâ piâ.

Antiphona, Versus, Oratio ut supra.

Commendatio.

HAs horas Canonicas cum attentione
Dixi, Beate Joseph, tui ratione ;
Ne mei sis immemor in oratione
Ut vivamus in cœli simul regione. Amen.

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES.

Cum Litaniis & precibus dicuntur flexis genibus.

Antiphona. Ne reminiſcaris.

Pſalmus 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum: ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine uſquequo?

Convertere Domine, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrimis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus : inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem : quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei : convertantur & erubescant valde velociter.

Gloria Patri & Filio &c.

Psalmus 31.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates : & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum : nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea : dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua : conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci : & injustitiam meam non abscondi.

Dixi : confitebor adversum me injustitiam

tiam meam Domino : & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

Veruntamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me : exultatio mea, erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac qua gradieris : firmabo te super oculos meos.

Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

In camo & freno maxillas eorum constringe ; qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris. Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino & exultate justi ; & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri & Filio &c.

Psalmus 37.

DOmine ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi : & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ : non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ ; à facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum & curvatus sum usque in finem : tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus : & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliatus sum nimis : rugiebam à gemitu cordis mei.

Dñe ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum, est dereliquit me virtus mea : & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.

Amici mei & proximi mei ; adversum me appropinquaverunt & steterunt.

Et qui juxta me erant de longe steterunt : & vim faciebant qui quærebãt animã meam.

Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates : & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperavi: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

Intende in adjutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ.

Gloria Patri & Filio &c.

Pſalmus 50.

MIſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum : dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci : ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum : & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti : incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſopo & mundabor : lavabis me & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam : & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis : & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me à facie tua : & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui : & ſpiritu principali confirma me.

Do-

Docebo iniquos vias tuas : & impii ad te convertentur.

Libera me de ſangvinibus Deus Deus ſalutis meæ : & exultabit lingva mea juſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies : & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes & holocauſta : tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri & Filio &c.

Pſalmus 101.

DOmine exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam à me : in quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te : velociter exaudi me.

Quia

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei, adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me adverſum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt: & ego ſicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides eius: & terræ ejus miſerebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion : & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium : & non ſprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera : & populus qui creabitur laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo : Dominus de cælo in terram aſpexit.

Ut audiret gemitus compeditorum : ut ſolveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini : & laudem ejus in Jeruſalem.

In conveniendo populos in unum, & reges ut ſerviant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ : paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum : in generationem & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundaſti : & opera manuum tuarum ſunt cæli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes : & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur : tu autem idem ipſe es & anni tui non deficient.

Filii ſervorum tuorum habitabunt : & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.

Cloria Patti & Filio & Spiritui S. &c.

Pſalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine : Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine : Domine quis ſuſtinebit ?

Quia apud te propitiatio eſt : & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus : ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri & Filio &c.

Psalmus 142

DOmine exaudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua juſtitia.

Et non intres in judicium cum ſervo tuo; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam: quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine ad

te

te confugi : doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter nomen tuum Domine, vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſervus tuus ſum.

Gloria Patri & Filio &c.

Antiphona. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel Parentum noſtrorum; neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

LITANIÆ
De omnibus Sanctis.

KYrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis DEus miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus miſerere nobis.
Spiritus Sancte DEus miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus miſerere nobis.

Sancta Maria, ora
Sancta DEi genitrix, ora
Sancta Virgo Virginum, ora
Sancte Michael, ora
Sancte Gabriel, ora
Sancte Raphael, ora
Omnes sancti Angeli & Archangeli. orate pro nobis.
Omnes sancti Beatorum Spirituum ordines orate.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ orate.
Sancte Petre, ora
Sancte Paule, ora
Sancte Andrea, ora
Sancte Jacobe, ora
Sancte Joannes, ora
Sancte Thoma, ora
Sancte Jacobe, ora
Sancte Philippe, ora
Sancte Bartholomæe, ora
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.

Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ, orate pro nobis.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes sancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane & Sebastiane, orate.
Sancti Joannes & Paule, orate.
Sancti Cosma & Damiane, orate.
Sancti Gervasi & Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes sancti Pontifices & Confess. orate.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.

Sancte Dominice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Sacerdotes & Levitæ, orate.
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anaſtaſia, ora.
Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ, orate.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei. Intercedite pro nobis.
Propitius eſto, parce nobis Domine.
Propitius eſto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A ſubitanea & improviſa morte,
Ab inſidiis diaboli,
Ab ira & odio & omni mala voluntate,
A Spiritu fornicationis,
A fulgure & tempeſtate,
A morte perpetua,
Per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ,
Per adventum tuum,

Libera nos Domine

Per

Per nativitatem tuam,
Per Baptismum & sanctum Jejunium tuum
Per Crucem & Passionem tuam,
Per mortem & sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per Adventum Spiritus sancti Paracliti,
In die Judicii,

Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam conservare digneris,
Ut domnum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos S. Ecclesiæ humiliare digneris,

Te rogamus audi nos.

Ut Regibus & Principibus Christianis pacem & veram concordiam donare digneris.
Ut cuncto populo Christiano pacem & unitatem largiri digneris,

Ut nosmet ipsos in tuo sancto servitio confortare & conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogam.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, Te rog.
Ut fructus terræ dare & conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rog.
Ut nos exaudire digneris, Te roga.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson.

Pater Noster. *secreto.*

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem,
Reſp. Sed libera nos à malo.

Pſalmus 69.

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.

Confundantur & revereantur: qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorſum & erubeſcant: qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi: Euge, Euge.

Exultent & lætentur omnes qui quærunt te; & dicant ſemper: magnificetur Dominus: qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adjuva me.

Adjutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri & Filio &c.

Verſ. Salvos fac ſervos tuos,
Reſp. Deus meus ſperantes in te.
Verſ. Eſto nobis Domine turris fortitudinis,
Reſp. A facie inimici.

Verſ.

Verſ. Nihil proficiat inimicus in nobis.
Reſp. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
Verſ. Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis.
Reſp. Neque ſecundum iniquitates nóſtras retribuas nobis.
Verſ. Oremus pro Pontifice noſtro N.
Reſp. Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.
Verſ. Oremus pro benefactoribus noſtris.
Reſp. Retribuere dignare Dñe omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.
Verſ. Oremus pro fidelibus defunctis.
Reſp. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.
Verſ. Requieſcant in pace.
Reſp. Amen.
Verſ. Pro fratribus noſtris abſentibus.
Reſp. DSalvos fac ſervos tuos, Deus meus ſperantes in te.
Verſ. Mitte eis auxilium de ſancto.
Reſp. Et de Sion tuere eos.

Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus cui proprium est misereri semper & parcere; suscipe deprecationem nostram; ut nos & omnes famulos tuos quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

EXaudi quæsumus Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

INeffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos & à peccatis exuas, & à pœnis quas pro his meremur, eripias.

DEus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

OMnipotens sempiterne DEus miserere famulo tuo Pontifici nostro N. & dirige

ge eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEus à quo ſancta deſideria, recta conſilia & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam quam mundus dare non poteſt, pacem: ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

URe igne S. Spiritus renes noſtros & cor noſtrum Domine: ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

FIdelium DEus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum, famularumq; tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur.

ACtiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens ſempiterne DEus qui vivo-

rum dominaris ſimul & mortuorum omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis; te ſupplices exoramus: ut pro quibus effundere preces decrevimus quosq; vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis pietatis tuæ clementia, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum Noſtrum JEſum Chriſtum Filium &c.

Verſ. Domine exaudi orationem meam,
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus.
Reſp. Amen.
Verſ. Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.
Reſp. Amen.

CONCILIUM TOLETANUM VIII.

SOlo DEO Creatore ſuo adorato, unusquisque invocet Sanctos, ut pro ſe intercedere

cedere apud Majeſtatem divinam dignetur. Et Auguſtinus clarè pronunciat. Populus Chriſtianus memorias Martyrum (eadem verò aliorum Sanctorum eſt ratio) religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem & ut meritis eorum conſocietur atque orationibus adjuvetur. Amen.

Precatio Generalis.

PArce DEus Pater, Parce DEus Fili, Parce DEus Spiritus Sancte, mihi famulo tuo N. & Chriſtiano populo univerſo, quamvis enim tua divina miſeratione, conſolatione & liberatione ſumus indigni, tamen clamat ad te Pater æterne ſangvis juſtus Filii tui in Cruce pro nobis effuſus: tum intercedant apud te noſtro nomine tot electorum Angelorum, qui Majeſtati tuæ ſemper aſſiſtunt, Myriades: ac veniam nobis comprecentur, atque abs te impetrent Sanctorum in Cœleſti Regno tibi collætantium cætus innumerabiles. Præſertim ut ubique gentium rectius habeat Eccleſia Catholica in terris militans, & non ſolùm à præſentibus, ſed etiam imminentibus periculis ac pœnis liberetur. Amen.

Duæ Claves aureæ, quibus certo cœlum aperias & ſalvus ſis.

Contritio & Charitas.

O Lector ſcis cur vivas? quò eas viator? in longiſſimam æternitatem. Vis fœlix eſſe, cœlumque ingredi? aperi, en Claves, cave quæſo has non negligas aut peccato mortali æternum illud tibi claudas, æternum gemas.

Prima Clavis Contritio.

In quo conſiſtat Contritio.

IN hoc ut intimè doleas de peccatis tuis, ſive velis ea te non feciſſe, non tàm ob pænam quam invenis aut Cœlum quod amittis, ſed maximè quia diſplicent divinæ Majeſtati, ita deleas peccata ſi paratus ſis ſuo tempore confiteri (Pœnitemini & confitemini ut deleantur peccata veſtra) Amen.

Uſus Clavis Contritionis.

DOmine mi JESU Chriſte, verus DEus
&

& verus homo Creator & Salvator meus, doleo ex toto corde meo quod offenderim. Quia tu DEus meus es, & te amo super omnia, firmiterque ſtatuo nunquam poſthac peccare, ſed imò peccandi occaſiones evitare. Propono quoque peccata mea confiteri, pœnitentiam, quæ injuncta fuerit exſolvere, & ſi quid alicui debeam reſtituere. Amore etiam tui remitto injuriam omnem à quocunqne mihi illatam, inſuper ad expianda peccata mea: offero Majeſtati tuæ vitam, labores & bona opera mea univerſa; ut verò humillimè peccatorum meorum remiſſionem efflagito: ita confido ab infinita bonitate tua per merita Sanctiſſimæ Paſſionis, ſangvinis, & mortis tuæ ea mihi remittenda: præſtandam etiam gratiam, quâ vitam meam emendem, & in finem uſque perſeverem. Amen.

Brevior.

O DEUS meus, doleo ex animo de omnibus peccatis meis, idque maximè quia divinæ tuæ diſplicent Majeſtati. Amen.

Alia.

O JESU, doleo ex amore tui quod offenderim te, peccavi, ô quàm doleo ex solo amore tui! Amen.

Assvesce hunc actum elicere dicendo JESUS.

Secunda Clavis Charitas.

In quo consistat Charitas.

IN hoc, ut DEum super omnia diligas propter te ipsum qui illud millies per se meretur. Quoties id facis, toties gratissimum DEo opus facis, omniaque scelera quantumvis gravia eluis, universa delicta operit charitas.

Usus Clavis Charitatis.

O Magne DEus te amo super omnia, te diligo ex toto corde ex tota anima, ex omnibus viribus meis ac firmissimè propono omnia mandata tua implere, omniaque te adspirante peccata vitare, & quare non alia causa quam ob immensam perfectionem, incomprehensam potentiam, altissi-

tiſſimam ſapientiam, infinitam bonitatem tuam. Sive propter teipſum & quia omni amore digniſſimus es ô Pater, ô Fili, ô Spiritus Sancte, ô Sanctiſſima Trinitas, ô DEus meus & omnia. Amen.

Brevior.

AMo te DEus meus quia dignus es, toto corde meo. Amen.

Alia.

O Amor Deus meus diligo te ex toto corde meo ſolùm propter te. Amen.

Aſſveſce hunc actum elicere, dum dicis JEſus & mente eum amplectere.

Recollectio horaria.

O JESU ſummum & omne bonum, cur unquam te offendi. Ah me verè pœnitet ex intimis medullis; ideòque vel maximè, quia tibi toti peccavi. Et quid jam ago, te æſtimo, te unum amo ſuper omnia propter teipſum qui hoc amore meo, omnique alio ſine fine dignus es. Amen.

Orationes ante & post Confessionem Sacramentalem.

COnditor Cœli & Terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui me de nihilo fecisti ad imaginem & similitudinem tuam, & me tuo proprio sangvine redemisti: quem ego peccator non sum dignus nominare, nec invocare, nec corde cogitare: Te suppliciter deprecor, & humiliter exoro, ut clementer respicias me servum tuum nequam. Et miserere mei, qui misertus fuisti mulieri Chananeæ, & Mariæ Magdalenæ: qui pepercisti Publicano, & Latroni in Cruce pendenti. Tibi confiteor Pater piissime peccata mea: quæ si volo abscondere, non possum tibi Domine. Parce mihi Christe quem ego nuper multum offendi, cogitando, loquendo, operando, & in omnibus modis, in quibus ego fragilis homo & peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo Domine precor tuam clementiam qui de Cœlo pro mea salute descendisti, qui David à peccati lapsu erexisti. Parce mihi Domine, parce mihi Christe, qui Pe-

tro

tro te neganti pepercisti. Tu es Creator meus & Redemptor meus, Dominus meus & Salvator meus, Rex meus, & DEus meus. Tu es spes mea & fiducia mea, gubernatio mea, & auxiliatio mea, consolatio mea, & fortitudo mea, defensio mea, & liberatio mea, vita mea, salus mea, & resurrectio mea, lumen meum, & desiderium meum, adjutorium meum, & patrocinium meum. Te deprecor & rogo, adjuva me & salvus ero: guberna me & defende me: conforta me & consolare me: confirma me & lætifica me: illumina me & visita me. Suscita me mortuum, quia factura & opus tuum sum. Domine ne despicias me, quia famulus & servus tuus sum, quamvis malus, quamvis indignus & peccator: sed qualiscunque sum, sive bonus sive malus semper tuus sum. Ad quem ego fugiam, nisi ad te vadam? si tu me ejicis quis me recipiet? si tu me despicis, quis me aspiciet? Recognosce me ergo indignum ad te refugientem, quamvis sim vilis & immundus: quia si vilis & immundus sum potes me mundare: si cæcus sum potes me illuminare: si infirmus sum potes me sanare: si mortuus & sepultus

sum,

ſum, potes me reſuſcitare: quia major eſt miſericordia tua, quàm iniquitas mea: major eſt pietas tua, quàm impietas mea; plus potes dimittere, quàm ego committere, & plus parcere quàm ego peccator peccare. Non ergo deſpicias me Domine neque attendas multitudinem iniquitatum mearum. Sed ſecundum multitudinem miſerationum tuarum miſerere mei, & propitius eſto mihi maximo peccatori. Dic animæ meæ: ſalus tua ego ſum. Qui dixiſti: Nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat; Converte me Domine ad te & noli iraſci contra me. Deprecor te clementiſſime Pater propter miſericordiam tuam ſupplico & exoro, ut perducas me ad bonum finem, & ad veram pœnitentiam, puram confeſſionem, & dignam ſatisfactionem omnium peccatorum meorum. Amen.

Oratio ante Confesſionem Sacramentalem.

SUſcipe confeſſionem meam, piiſſime ac clementiſſime Domine JEſu Chriſte, unica ſpes ſalutis animæ meæ: & da mihi obſecro

obſero contritionem cordis, & lachrimas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate & puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine. Si iratus fueris contra me, quem adjutorem quæram: quis miſerebitur iniquitatibus meis? memento mei Domine, qui Chananeam & Publicanum vocaſti ad pœnitentiam, & Petrum lachrimantem ſuſcepiſti. Domine DEus meus ſuſcipe preces meas. Salvator mundi JESU bone, qui te Crucis morti dediſti, ut peccatores ſalvos faceres; reſpice me miſerum peccatorem invocantem nomen tuum, & noli ſic attendere malum meum, ut obliviſcaris bonum tuum. Et ſi commiſi unde me damnare potes, tu non amiſiſti unde ſalvare ſoles. Parce ergo mihi qui es Salvator meus, & miſerere peccatrici animæ meæ. Solve vincula ejus, ſana vulnera. Domine JEſu te deſidero, te quæro, te volo, oſtende mihi faciem tuam & ſalvus ero. Emitte igitur piiſſime Domine meritis puriſſimæ & immaculatæ ſemper Virginis Genitricis tuæ Mariæ & Sanctorum tuorum, lucem tuam & veritatem tuam in animam meam, quæ omnes

defectus

defectus meos in veritate mihi oſtendat, quos confiteri me oportet: atque juvet, & doceat ipſos plenè & contrito corde explicare. Qui vivis. &c.

Oratio poſt Confesſionem.

SIt tibi Domine obſecro, meritis Beatæ ſemper Virginis Genitricis tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum grata & accepta iſta confeſſio mea: & quidquid mihi defuit nunc & alias de ſufficientia contritionis, de puritate & integritate confeſſionis, ſuppleat pietas & miſericordia tua: & ſecundum illam digneris me habere plenius & perfectius abſolutum in cœlo. Qui vivis & regnas. &c.

Oratio ante S. Communionem.

AD menſam dulciſſimi convivii tui, pie Domine JEſu Chriſte, ego peccator de propriis meritis nihil præſumens, ſed de tua confidens miſericordia & bonitate accedere vereor & contremiſco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum: mentem & lingvam non cautè cu-

ſtoditam.

ſtoditam. Ergo ô pia Deitas, ô tremenda Majeſtas, ego miſer inter anguſtias deprehenſus, ad te fontem miſericordiæ recurro ad te feſtino ſanandus: ſub tuam protectionem fugio: & quem judicem ſuſtinere nequeo, Salvatorem habere ſuſpiro. Tibi Domine plagas meas oſtendo: Tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo. Spero in miſericordias tuas, quarum non eſt numerus. Reſpice in me oculis miſericordiæ tuæ. Domine JEſu Chriſte, Rex æterne, Deus & homo crucifixus propter hominem Exaudi me ſperantem in te, & miſerere mei pleni miſeriis & peccatis, tu qui fontem miſerationis nunquam manare ceſſabis. Salve ſalutaris victima pro me & omni humano genere in patibulo Crucis oblata. Salve nobilis & pretioſe ſangvis, de vulneribus crucifixi Domini mei JEſu Chriſti profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo ſangvine redemiſti. Pœnitet me peccaſſe: cupio emendare quod feci. Aufer ergo à me clementiſſime Pater omnes iniquitates & peccata mea: ut purificatus mente & corpore dignè deguſtare merear

Sancta Sanctorum: & concede ut sancta prælibatio corporis & sangvinis tui quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, bonorumque sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animæ quoque & corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Alia Oratio S. Thomæ Aquinatis ante Communionem.

OMnipotens sempiterne DEus, ecce accedo ad Sacramentum Unigeniti Filii tui Domini nostri JEsu Christi. Accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ: immundus ad fontem misericordiæ: cæcus ad lumen claritatis æternæ: pauper & egenus ad Dominum Cœli & Terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, ut te Panem Angelorum Regem Regum, & Dominum Dominantium tantâ susci-

ſuſcipiam reverentiâ & humilitate, tanta contritione & devotione, tanta puritate & fide, tali propoſito & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi quæſo Dominici corporis & ſangvinis non ſolùm ſuſcipere Sacramentum, ſed etiam rem & virtutem Sacramenti. O mitiſſime DEus, da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti, quod traxit de Virgine Maria, ſic ſuſcipere: ut corpori ſuo miſtico merear incorporari, & inter ejus membra connumerari. O amantiſſime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit & regnat in unitate &c.

Ex S. Auguſtino ad B. V. M.

O Mater pietatis & miſericordiæ Virgo Maria, ego miſer & indignus peccator ad te confugio toto corde & affectu, & precor pietatē tuam ut ſicut dilectiſſimo Filio tuo in Cruce pendenti adſtitiſti, ita & mihi nunc ad menſam ejus divinam accedenti aſſiſtere digneris, ut tua gratia adjutus, eum non indignè merear accipere. Amen.

Oratio S. Franciſci Confeſſoris.

O Domine Deus meus quis es tu? & quis ego? ecce hic ſto ante te Domine tanquam medicus ante divitem, petens ut divinitas gratiæ tuæ mihi pro modulo meo participare velit.

O Domine hic ſto ante te ſicut ſervus ante Dominum petens cibum & potum corporis & ſangvinis tui ſimul & veſtem charitatis quæ multitudinem operit peccatorum.

O Domine hic ſto ante te ut reus ante Iudicem terribilem, petens ut mihi Iudex pius eſſe velis, quando ſeparabitur anima mea à corpore & ante tribunal tuum præſentabitur.

O Domine hic ſto ante te ſicut amicus ante amicum, petens ut eximia charitas tua trahat me ad te, me liget in te & non permittat me unquam ſeparari à te.

O Domine hic ſto ante te tanquam Filius ante Patrem petens confidenter ut neceſſaria & ſalutaria quæque mihi provide-

as & paternam hæreditatem mihi finaliter non velis denegare. Amen.

Alia Oratio in ipſo ad Communionem acceſſu.

DOmine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ſed tu Domine qui dixiſti; qui manducat meam carnem & bibit meum ſangvinem, in me manet & ego in eo. Propitius eſto mihi peccatori per ſumptionem corporis & ſangvinis tui, & præſta ut non ad judicium damnationis illud ſumam, ſed miſericordia tua tribuente in ſalutem & remiſſionem peccatorum meorum. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

Orationes poſt Sacram Communionem.

Pſalmus.

LAudate Dominum omnes gentes: Laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus: & veritas Dñi manet in æternum. Gloria &c.

Canticum Simeonis. Luc. 2.

NUnc dimittis servum tuum Domine: secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c.

Oratio.

ANima Christi sanctifica me: Corpus Christi salva me: sangvis Christi inebria me: aqua lateris Christi lava me: Passio Christi conforta me: O bone Jesu exaudi me: intra vulnera tua absconde me: & ne permittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me; in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis & electis tuis laudem te, in sæcula sæculorum. Amen.

Alia

Alia Oratio S. Thomæ Aquinatis.

GRatias tibi ago Domine S. Pater omnipotens æterne Deus. qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ, ſatiare dignatus es pretioſo corpore & ſangvine Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti: Et precor ut hæc ſancta communio non ſit mihi reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei: & ſcutum bonæ voluntatis: ſit vitiorum meorum evacuatio: concupiſcentiæ & libidinis exterminatio: charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio: contra inſidias inimicorum meorum tàm viſibilium quàm inviſibilium firma defenſio: motuum meorum tam carnalium quàm ſpiritualium perfecta quietatio. In te uno ac vero Deo firma adhæſio atq; finis mei felix conſummatio, & precor te ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris ubi tu cum Filio tuo & Spiritu S. Sanctis tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, jucunditas conſummata & felicitas perfecta. Per eundem Chriſt. Dñum noſtrum. Amen.

Alia Oratio S. Bonaventuræ post Communionem.

TRansfige dulcissime Domine JEsu, medullas & viscera animæ meæ svavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaque, & Apostolica sanctissima charitate: ut langveat & liquefiat anima mea solo semper amore & desiderio tui, Te concupiscat & deficiat in atria tua; cupiat dissolvi & esse tecum. Da ut anima mea Te esuriat panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem; habentem omnem dulcedinem & saporem, & omne delectamentum svavitatis: Te in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat, & comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ: Te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ & scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem Domus Dei: Te semper ambiat, Te quærat, Te inveniat, ad Te tendat, ad Te perveniat, Te meditetur, Te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nomi-

nominis Tui cum humilitate & discretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseverantia usq; in finem : & Tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, svavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum sapientia mea, portio mea, possessio mea & thesaurus meus, in quo fixa & firma, & immobiliter semper sit radicata mens mea & cor meum. Amen.

Domine JEsu noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te,
Ut odiam me, & amem te.
Quidquid agam propter te:
Humiliem me, exaltem te,
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me; ut vivam in te,
Quæcunq; venient accipiam à te.
Persequar me, sequar te,
Semper optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te,
Dignus sim; timeam te
Simq; le electis à te.
Dissidam mihi fidam in te,

Obedire velim propter te,
In nullo afficiar nisi in te.
Aspice me; ut diligam te,
Voca me; ut videam te
Et in æternum potiar te. Amen.

Postrema precatio ad Matrem Domini Benedictam.

COmmendo me tibi Sanctissima, verèque inclita V. M. Cœli & Terræ Regina, quæ in tuo Sacratissimo Utero eundem Dominum & omnium Creatorem, quem ego modo suscepi, de Spiritu S. conceptum dignè portasti, precor te Matrem Dei Sanctissimam ut pro me apud eundem Filium tuum intercedas, & quacunque ratione in summi Sacramenti hujus sumptione deliqui hujus negligentiæ & indignitatis meæ veniam impetres. Tu semper casta, pura; innocens, post conceptum Filium etiam castior, purior, & sanctior evasisti; utinam & ego tam divini Sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor & corpus meum ab omni lethalis peccati macula tueatur impollutum. Tu concepto Filio de Spiritu Sancto magnifi-

gnificas laudes Domino lætè decantasti; & in Deo salutari tuo mirabiliter exultasti. O si tuis efficacibus precibus id assequar Virgo Mater, ut cum hac sacra Commu, nione novum & ardentem Spiritum concipiam, ac semper in gratiarum actione pia verser, tantoque Redemptori & hospiti me nunquam ingratum, sed fidum in omnibus ministrum ostendam. Amen.

Alia

O Sanctissima & inclita Virgo Maria Mater Domini Nostri JEsu Christi, Regina cœli & terræ, quæ eundem Creatorem omnium Creaturarum, in tuo sancto utero digna fuisti portare, cujus idem veracissimum corpus & sangvinem, ego indignus sumere præsumpsi. Rogo te per Virginalem humilitatem tuam, & per Passionem & mortem ejusdem Filii tui, ut ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris, ut quidquid in ejus sacrificatione benedicta ignoranter, negligenter, vel accidentaliter omisi, tuis sanctissimis precibus mihi dignetur indulgere. Amen.

ORA-

ORATIONES

De Pasſione Domini Noſtri JESU Chriſti.

SAlve tremendum cunctis poteſtatibus Caput Dñi noſtri JEſu Chriſti Salvatoris noſtri, pro nobis ſpinis coronatum, & arundine percuſſum. Salve ſpecioſiſſima Salvatoris noſtri JEſu Chriſti facies, pro nobis ſputis & alapis cæſa. Salvete benigniſſimi Domini noſtri JEſu Chriſti Salvatoris noſtri oculi, pro nobis lachrimis perfuſi. Salve mellifluum os, gutturque ſvaviſſimum Domini noſtri JEſu Chriſti, pro nobis felle, & aceto potatum. Salvete aures nobiliſſimæ Domini JEſu Chriſti Salvatoris noſtri, pro nobis contumeliis & opprobriis affectæ. Salve collum humile Jeſu Chriſti, pro nobis colaphizatum, dorſumque Sanctiſſimum pro nobis flagellatum. Salvete venerabiles Domini noſtri JEſu Chriſti manus & brachia pro nobis in Cruce extenſa. Salve pectus mitiſſimum Domini JEſu Chriſti Salvatoris noſtri, pro nobis

nobis in Passione conturbatum. Salve latus gloriosum Domini nostri JEsu Christi, pro nobis lancea militis perforatum. Salvete Domini nostri JEsu Christi Salvatoris nostri sacra misericordiæ genua, pro nobis in orationibus flexa. Salvete Domini JEsu Christi Salvatoris nostri pedes adorandi, pro nobis clavis affixi. Salve totum corpus JEsu Christi pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Salve sangvis pretiosissime, de corpore Domini JEsu Christi Salvatoris nostri pro nobis effuse. Salve sanctissima Domini nostri JEsu Christi Anima, in Cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem commendatione tibi commendo hodie & quotidie animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes sensus & actus meos, omnes amicos, benefactores, filios & consangvineos meos. Animas Parentum, Fratrum, Sororum, & omnium amicorum ac inimicorum meorum: ut nos protegere, liberare, & defendere digneris ab omnibus insidiis inimicorum nostrorum visibilium & invisibilium, & nunc & in perpetuum. Amen.

LITANIÆ

Ad Dominnm Deum noſtrum JEſum Chriſtum de Vita & Paſſione ejusdem, ex ſacris Scripturis deprompæ.

Antiphona.

HUmiliavit ſemetipſum Dominus noſter JEſus Chriſtus, factus eſt obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & DEus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum, & omnis lingva confiteatur, quia Dominus JEſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

Kyrie eleyſon,
Chriſte eleyſon,
Kyrie eleyſon,
Jeſu Chriſte audi nos,
Jeſu Chriſte exaudi nos,
Jeſu Verbum Patris, Miſerere nobis.
Jeſu ſplendor Paternæ gloriæ, Miſerere nobis.
Jeſu figura ſubſtantiæ Patris, Miſerere nobis.

Jesu sapientia æterna,
Jesu candor lucis æternæ,
Jesu speculum sine macula,
Jesu per quem facta sunt omnia,
Jesu verbo veritatis tuæ omnia portans,
Jesu magni consilii Angele, Miserere nobis.
Jesu Princeps Pacis,
Jesu Sanctis Patribus promisse,
Jesu cunctis gentibus desiderate,
Jesu in mundum à Patre misse,
Jesu de Spiritu S. concepte,
Jesu Verbum Caro factum,
Jesu nobiscum Deus,
Jesu in forma servi facte,
Jesu de Maria Virgine nate,
Jesu à tua Genitrice adorate,
Jesu pannis involute,
Jesu in præsepio reclinate, Miserere nobis
Jesu ubere Virgineo lactate,
Jesu à pastoribus in præsepio recognite,
Jesu per Circumcisionem sub lege facte,
Jesu à Magis adorate,
Jesu in templo præsentate,
Jesu in ulnis Simeonis excepte,
Jesu in Ægyptum delate,
Jesu ab Herode ad mortem quæsite,

Iesu in Nazareth nutrite,
Iesu in templo invente,
Iesu Parentibus subdite,
Iesu à Ioanne baptizate ,
Iesu in deserto tentate ,
Iesu cum hominibus conversate,
Iesu pauperibus discipulis sociate,
Iesu Lex mundi,
Iesu Doctor justitiæ,
Iesu via, veritas, & vita,
Iesu exemplar virtutum omnium,
Iesu omnibus lugentibus misericorditer opitulate,

Miserere nobis.

Iesu à tuis furiosus reputate,
Iesu gratis odio habite,
Iesu contumeliis vexate ,
Iesu lapidibus impetite,
Iesu in monte coram Patribus transfigurate,
Iesu Rex mitis Ierusalem ingresse,
Iesu præ compassione lachrimate ,
Iesu triginta argenteis appretiate ,
Iesu ad discipulorum pedes inclinate,
Iesu panis vive nos confortans,
Iesu potus verè nos lætificans,
Iesu in oratione prostrate,
Iesu in agonia sangvineo sudore perfuse,

Miserere nobis.

Iesu ab Angelo confortate,
Iesu osculo à Iuda tradite,
Iesu à ministris ligate,
Iesu à discipulis derelicte,
Iesu Annæ & Caiphæ præsentate,
Iesu alapa à Ministro percusse,
Iesu à falsis testibus accusate,
Iesu reus mortis judicate,
Iesu in faciem conspute,
Iesu oculis velate,
Iesu colaphis cæse,
Iesu cujus corpus percutientibus & genæ vellentibus datæ,
Iesu à Petro ter negate,
Iesu ab Herode & ejus exercitu sprete & illuse,
Iesu veste alba indute,
Iesu Barabbæ postposite,
Iesu flagellis cæse,
Iesu propter scelera nostra attrite,
Iesu quasi leprosus reputate,
Iesu veste purpurea indute,
Iesu spinis coronate,
Iesu arundine percusse,
Iesu à Iudæis ad Crucem postulate,
Iesu morte turpissima condemnate,
Iesu voluntati Iudæorum tradite,

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Iesu crucis pondere gravate,
Iesu tanquam ovis ad occiſionem ducte,
Iesu veſtibus exute,
Iesu clavis in Cruce confixe,
Iesu propter iniquitates noſtras vulnerate,
Iesu pro inimicis Patrem deprecate,
Iesu cum iniquis reputate,
Iesu opprobrium hominum facte,
Iesu à prætereuntibus blaſphemate,
Iesu à Iudæis derise,
Iesu à militibus in Cruce illuse,
Iesu à latrone injuriis laceſſite,
Iesu opprobriis ſaturate,
Iesu latroni pœnitenti paradisum pollicite,
Iesu qui Ioannem Matri tuæ in filium tradidiſti,
Iesu te à Patre derelictum atteſtate,
Iesu felle & aceto in ſiti potate,
Iesu conſummata omnia de te ſcripta teſtate.
Iesu cujus ſpiritus in manus Patris commendatus,
Iesu à Patre pro tua reverentia ſemper exaudite,
Iesu usque ad mortem Crucis obediens facte,

Miſerere nobis.

Miſerere nobis.

Iesu lancea transfixe,
Iesu de cujus latere exivit ſangvis & aqua,
Iesu cujus livore ſanati ſumus,
Iesu propitiatio nobis facte,
Iesu de Cruce depoſite,
Iesu in ſindone munda involute,
Iesu in monumento nouo tumulate,
Iesu vinctos tuos de lacu inferni prædate,
Iesu poſt reſurrectionem cum diſcipulis converſate,

Miſerere nobis.

Iesu in cœlum elevate,
Iesu in Patris dextera collocate,
Iesu gloria & honore coronate,
Iesu Rex Regum, & Dominus Dominantium,
Iesu noſter apud Patrem advocate,
Iesu Spiritum Paraclitum diſcipulis elargite,
Iesu Matrem tuam ſuper choros Angelorum exaltans,
Iesu vivos & mortuos judicature,
Iesu reprobos in ignem æternum misſure,
Iesu paratum electis Regnum collature,

Miſerere nobis.

Iesu ubertate domus tuæ Sanctos omnes inebrians,
Iesu Pater futuri sæculi,
Iesu Jubilus Angelorum,
Iesu Rex Patriarcharum,
Iesu Magister Apostolorum,
Iesu Doctor Evangelistarum,
Iesu fortitudo Martyrum,
Iesu lumen Confessorum,
Iesu sponse & puritas Virginum,
Iesu Corona Sanctorum omnium,

Miserere nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. &c.

Pater Noster.

Oratio.

RESpice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster JEsus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium & Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit &c.

Orationes de singulis articulis Passionis.

DEus qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci,

duci, atque conſpectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, à falſis teſtibus accuſari, flagellis & opprobriis vexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, veſtibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari: Tu Domine per has ſanctiſſimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per ſanctam crucem & mortem tuam, libera me à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxiſti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu S. vivis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Alia Oratio de Paſſione

DOmine Ieſu Chriſte, in cujus ditione cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, qui dignatus es naſci, mori, & reſurgere: per myſterium ſacratisſimi corporis tui, & per quinque vulnera, & effuſionem pretioſisſimi ſanguinis tui, miſerere nobis, ſicut tu ſcis neceſſarium eſſe animabus & corporibus noſtris, Libera nos à diaboli tentatione, & ab omnibus, quibus nos anguſtiatos eſſe

cognoscis: nosque in servitio tuo usque in finem conserva, atque corrobora, & veram emendationem, spaciumque veræ pœnitentiæ nobis tribue, & remissionem omnium peccatorum post obitum; & fac nos fratres, sorores, amicos, & inimicos invicem diligere, & cum omnibus sanctis tuis in Regno tuo sine fine gaudere: qui cum Deo Patre & Spiritu sancto, vivis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Ad vulnera Christi Oratio.

ROgo te Domine JESU per illa salutifera vulnera, quæ passus es in cruce pro salute nostra, è quibus emanavit ille pretiosus sangvis, quo sumus redempti: vulnera animam meam peccatricem, pro qua mori dignatus es; vulnera eam igneo, & potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis. Confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata sum: utque ex ipso vulnere amoris tui, uberrimæ fluant lachrimæ, die, ac nocte. Percute Domine percute obsecro hanc durissimam mentem meam, pia & valida cuspide

ſpide dilectionis tuæ & altiùs ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

Alia Oratio.

O Bone Ieſu, ô piiſſime Iesu, ô Iesu Fili Mariæ Virginis, plene miſericordia & pietate. O dulcis Iesu, ſecundum magnam miſericordiam tuam, miſerere mei. O clementiſſime Ieſu deprecor te per illum ſangvinem pretioſum, quem pro peccatoribus effundere voluiſti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me reſpicias miſerum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc nomen ſanctum Iesu invocantem. O nomen Iesu nomen dulce! nomen Jesu, nomen delectabile, nomen Iesu, nomen confortans! Quid eſt enim Iesus? niſi Salvator; Ergo Iesu propter nomen ſanctum tuum eſto mihi Iesus, & ſalva me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creaſti. O bone Iesu! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Iesu: recognoſce quod tuum eſt, in me & abſterge quod alienũ eſt, O benigniſſime Iesu! miſerere mei, dum tempus eſt

miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in sangvine meo, dum descendero in æternam corruptionem? non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime Iesu! O desideratissime Iesu! O mitissime Iesu! O Iesu, Iesu, Iesu dimitte me intrare in numerum Electorum tuorum. O Iesu salus in te credentium! O Iesu solatium ad te confugientium! O Iesu dulcis remissio omnium peccatorum! O Iesu Fili Mariæ Virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem, & humilitatem; ut possim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire, & in te gloriari, & omnes qui invocant nomen tuum, quod est Iesus. Amen.

D. Bernardi Meditatio & Precatio ad Christum Crucifixum æterno Patri repræsentandum.

COgnosce anima mea, cognosce: Hic est Dominus Deus noster Jesus Christus Salvator tuus: unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo. Qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce cum sceleratis quodammodo reputatus & quasi lepro-

leprosus, novissimus virorum æstimatus; & tanquam abortivum quod projicitur à vulva, sic projectus est ab utero matris suæ infelicis Synagogæ. Iste formosus præ filiis hominum quàm deformis factus est? Hic vulneratus propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, & factus in holocaustum svavissimi odoris in conspectu tuo Pater æternæ gloriæ: ut averteret indignationem tuam à nobis, & ut consedere nos sibi faceret in Cœlestibus. Respice Domine sancte Pater de excelso Cœlorum habitaculo; & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, factus puer tuus Dominus noster JEsus Christus pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ. Ecce vox sangvinis Fratris nostri JesuChristi clamat ad te de Cruce. Respice Domine in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem obediens factus est. Nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. Gratias tibi Pater referat omnis lingva, pro superabundantia bonitatis tuæ,

qui unico Filio tuo cordis tui non pepercisti, Sed pro nobis omnibus illum tradidisti in mortem, ut eum tanquam fidelem Advocatum coram te in cœlis haberemus. Amen.

Meditationes piæ de Passione Christi.

O Domine JEſu Chriſte, adoro te in Cruce pendentem, coronam ſpineam in capite portantem. Deprecor te, ut me tua crux liberet ab Angelo percutiente. Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria &c.

O Domine JESU Chriſte, adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatum: deprecor te ut vulnera tua ſint remedium animæ meæ. Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria &c.

O Domine JEſu Chriſte propter illam amaritudinem, quam pro me miſerrimo ſuſtinuiſti in Cruce, maximè in illa hora, quando nobiliſſima anima tua egreſſa eſt

de

de benedicto corpore tuo: Deprecor te, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo, & perduc eam in vitam æternam. Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria &c.

O Domine JEſu Chriſte, adoro te in ſepulchro poſitum, myrrha & aromatibus conditum. Deprecor te, ut tua mors ſit vita mea. Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria &c.

O Domine JEſu Chriſte adoro te deſcendentem ad inferos: liberantem captivos: deprecor te, ne permittas me illuc introire, Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria &c.

O Domine JEſu Chriſte adoro te reſurgentem à mortuis, aſcendentem ad Cœlos ſedentemque ad dexteram Patris: Deprecor te, ut illuc te ſequi, & tibi præſentari merear. Amen.

Pater noſter &c. Ave Maria &c.

O Domine JEſu Chriſte, paſtor bone, juſtos conſerva, peccatores juſtifica, omnibus fidelibus miſerere, & propitius eſto mihi peccatori, Amen.

Pater noſter Ave Maria Credo &c.

LITANIÆ
De ſvaviſſimo Nomine JESU.

KYrie eleyſon,
Chriſte eleyſon,
Kyrie eleyſon,
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos,
Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Jeſu Fili Dei vivi,
Jeſu potentiſſime,
Jeſu fortiſſime,
Jeſu perfectiſſime,
Jeſu glorioſiſſime,
Jeſu jucundiſſime,
Jeſu chariſſime,
Jeſu clarior Sole,
Jeſu pulchrior Luna,
Jeſu ſplendidior ſtellis,

Miſerere nobis.

Jeſu

Jesu admirabilis,
Jesu delectabilis,
Jesu honorabilis,
Jesu humillime,
Jesu pauperrime, Miserere nobis.
Jesu mitissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu castissime,
Jesu amator castitatis,
Jesu amator pacis,
Jesu amator noster,
Jesu speculum vitæ,
Jesu exemplar virtutum,
Jesu decus morum,
Jesu zelator animarum,
Jesu refugium nostrum, Miserere nobis.
Jesu Pater pauperum,
Jesu consolator afflictorum,
Jesu thesaurus fidelium,
Jesu gemma pretiosa,
Jesu armarium perfectionis,
Jesu bone pastor ovium,
Jesu stella maris,
Jesu lux vera,
Jesu sapientia æterna,
Jesu bonitas infinita,

Jesu

Jesu gaudium Angelorum,
Jesu Rex Patriarcharum,
Jesu Inspirator Prophetarum,
Jesu Magister Apostolorum,
Jesu Doctor Evangelistarum,
Jesu Fortitudo Martyrum,
Jesu Lumen Confessorum,
Jesu Sponse Virginum,
Jesu Corona SS. omnium,

Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis Jesu.
Propitius esto, Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo, Libera nos Jesu.
Ab ira tua, Libera nos Jesu.
A transgressione mandatorum tuorum,
Ab incursu omnium malorum,
A peste, fame, & bello,
A mala morte,
A pœnis inferni,
Per Incarnationem tuam,
Per Nativitatem tuam,
Per Circumcisionem tuam,
Per Cœlestem nominis Jesu impositionem.
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per Resurrectionem tuam,

Libera nos Jesu.

Per

Per Aſcenſionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per dulciſſimam Virginem Matrem tuam.
Per interceſſionem omnium Sanctorum tuorum — Libera nos Jeſu.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut dulcem melliflui nominis tui memoriam in tabulis cordis noſtri digito virtutis tuæ inſcribere digneris, Te rog.
Ut nomen hoc Sanctiſſimum & viventes in opere & morientes in ore habere mereamur, Te rogamus audi nos.
Ut benigniſſime JESU nobis ſis JESUS, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei &c. Parce nobis Jeſu.
Agnus Dei &c. Exaudi nos Jeſu.
Agnus Dei &c. Miſerere nobis Jeſu.

Jeſu Chriſte audi nos,
Jeſu Chriſte exaudi nos,
Kyrie eleyſon,
Chriſte eleyſon,
Kyrie eleyſon.

Pater noſter &c.

Verſ. Sit nomen Domini benedictum,
Reſp. Ex hoc nunc & usq; in ſeculum.

Oratio.

DEus qui gloriosissimum nomen JEsu Christi filii tui Domini nostri fecisti fidelibus tuis summo svavitatis affectu amabile & malignis spiritibus tremendum, atque terribile: concede propitius, ut omnes qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro, gaudium exultationis & interminabilis beatitudinis obtineant in cœlis. Per eundem Dñum nostrum Jesum Christum &c.

Jubilus S. Bernardi.

JEsu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel & omnia,
Ejus dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
Auditur nil jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Iesus Dei Filius.
Iesu spes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus,
Quàm bonus te quærentibus,
Sed quid invenientibus.

Jesu

Ieſu dulcedo cordium,
Fons vivus lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.
Nec lingva valet dicere,
Nec litera exprimere,
Expertus poteſt credere,
Quid ſit Ieſum diligere.
Ieſum quæram in lectulo,
Clauſo cordis cubiculo,
Privatim & in publico,
Quæram amore ſedulo.
Cum Maria diluculo,
Ieſum quæram in tumulo.
Clamore cordis querulo,
Mente quæram non oculo.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus.
Ieſu provolvar pedibus,
Strictis hærens amplexibus.
Ieſu Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.
Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine,
Pulsâ mentis caligine,

Mundum replens dulcedine.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Amor Iesu dulcissimus,
Et verè suavissimus,
Plus millies gratissimus,
Quàm dicere sufficimus.
Hoc probat ejus Passio,
Hoc sangvinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur & Dei visio.
Iesum omnes agnoscite;
Amorem ejus poscite;
Iesum ardenter quærite,
Quærendo inardescite;
Sic amantem diligite:
Amoris vicem reddite.
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
Iesu author clementiæ,
Totius spes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.
Iesu mi bone sentiam
Amoris tui copiam,

Da mihi per præſentiam,
Tuam videre gloriam.
Cùm digne loqui nequeam
De te: tamen non ſileam.
Amor facit ut audeam,
Cùm de te ſolùm gaudeam.
Tua Ieſu dilectio,
Grata mentis refectio,
Replens ſine faſtidio,
Dans famem deſiderio.
Qui te guſtant eſuriunt,
Qui bibunt adhuc ſitiunt,
Deſiderare neſciunt;
Niſi Ieſum quem diligunt.
Quem tuus amor ebriat,
Novit quid JESus ſapiat,
Quam felix eſt quem ſatiat!
Non eſt ulrra quod cupiat.
Ieſu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Deſidero te millies,
Mi Ieſu quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando ſaties?

Amor tuus continuus,
Mihi langvor assiduus,
Mihi fructus mellifluus,
Est & vitæ perpetuus.
Iesu summa benignitas,
Mira cordis jucunditas;
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat charitas.
Bonum mihi diligere,
Iesum, nil ultra quærere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.
O Iesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ:
Te quærunt piæ lachrimæ,
Et clamor mentis intimæ.
Quocunque loco fuero,
Mecum Jesum desidero.
Quam lætus cùm invenero!
Quàm felix cum tenuero!
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula;
Tunc felix Christi copula;
Sed in his parva morula.
Jam quod quæsivi video,
Quod concupivi teneo,
Amore Jesu langveo,

Et corde totus ardeo.
Jesus cùm sic diligitur,
Hic amor non extingvitur,
Non tepescit, nec moritur,
Plus crescit & accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat & feliciter.
O beatum incendium!
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium
Amare Dei Filium!
Jesu flos Matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis,
Tibi laus, honor Numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, Veni, Rex optime,
Pater immensæ gloriæ,
Affulge menti clarius,
Jam expectatus sæpius.
Jesu Sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Cunctis amabilior;
Cujus gustus sic afficit,
Cujus odor sic reficit,

In quo mens mea deficit,
Solus amanti ſufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris conſumatio,
Tu mea gloriatio,
Jeſu mundi ſalvatio.
Mi dilecte revertere,
Conſors paternæ dexteræ.
Hoſtem viciſti proſperè,
Iam cœli regno fruere.
Sequar quocunque ieris;
Mihi tolli non poteris,
Cor meum cùm abſtuleris,
Jeſu laus noſtri generis.
Cœli Cives occurrite,
Portas veſtras attollite,
Triumphatori dicite,
Ave Jeſu Rex inclyte,
Rex virtutum, Rex gloriæ,
Rex inſignis victoriæ;
Jeſu largitor veniæ,
Honor cœleſtis Patriæ.
Tu fons miſericordiæ,
Tu veræ lumen Patriæ.
Pelle nubem triſtitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.

Te Cœli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat;
Jeſus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Jeſus in pace imperat,
Quæ omnem ſenſum ſuperat,
Hanc mea mens deſiderat,
Et ea frui properat.
Jeſus ad Patrem rediit,
Cœleſte regnum ſubiit,
Cor meum à me tranſiit,
Simul poſt Jeſum abiit,
Quem proſequamur laudibus,
Votis hymnis & precibus,
Ut nos donet cœleſtibus
Secum perfrui ſedibus. Amen.

Oratio.

ABſorbeat quæſo ò dulciſſime Dñe Jeſu Chriſte, ô ſpes unica & auxilium animæ, mentem meam, ab omnibus quæ ſub cœlo ſũt, ignita & melliflua vis amoris tui; ut amore amoris tui moriar; qui amore amoris mei dignatus es in ara Crucis mori: & deduc me è terris in paradiſum, qui de para-

diso propter me in terram descendisti, O Amor amoris mei. Amen.

Quinque Psalmi in honorem Sanctissimi Nominis MARIA.

Ave Maria, &c. M.

Canticum B. M. V. Luc. 1.

MAgnificat anima mea Dominum: Et exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum Nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.

Sicut

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros: Abraham & ſemini ejus in ſæcula.

Gloria Patri & Filio &c.

Monſtra te eſſe Matrem, ſumat per te preces. qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus.

Ave Maria &c. A.

Pſalmus 119.

AD Dominum cum tribularer clamavi: & exaudivit me.

Domine libera animam meam à labiis iniquis: & à lingva doloſa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad lingvam doloſam.

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus deſolatoriis.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis. Gloria Patri &c.

Monſtra te eſſe Matrem &c. ut ſupra.

Ave

Ave Maria &c. R.

Psalmus 118.

RETribue servo tuo vivifica me: & custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas: in omni tempore.

Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt Principes, & adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum justificationes tuæ.

Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.

Vias meas enuntiavi & exaudisti me: doce me justificationes tuas.

Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.

Dor-

Dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove à me: & de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: judicia tua non sum oblitus.

Adhæsi testimoniis tuis Domine: noli me confúndere.

Viam mandatorum tuorum cucurri: cùm dilatasti cor meum.

Gloria Patri & Filio & Spiritui S. &c.

Monstra te esse Matrem, ut supra.

Ave Maria &c. I.

Psalmus 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus Sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingva nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

Converte Domine captivitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lachrimis: in exultatione metent. Euntes

Euntes ibant & flebant: mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

Gloria Patri & Filio & Spiritui S. &c.

Monstra te esse Matrem, ut supra.

Ave Maria &c. A.

Psalmus 122.

AD te levavi oculos meos: qui habitas in Cœlis.

Ecce sicut oculi servorum: in manibus Dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Misere nostri Domine, miserere nostri: quia repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus & despectio superbis.

Gloria Patri & Filio & Spiritui S. &c.

Monstra te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus.

Salutatio Beatissimæ Virginis Mariæ, ejusq; Sanctissimorum Parentum, Joachimi, & Annæ.

QUot maris guttæ ſunt & arenæ, terræ, grana & gramina: toties cum Filio tuo Ave Sanctiſſima Mater Dei, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jeſus Chriſtus, Filius Dei vivi: & benedicti ſint Parentes tui Joachim & Anna, ex quibus ſine macula nobiliſſima tua caro Virginea proceſſit. O Maria, Joachim, & Anna, orate pro nobis peccatoribus Filium, & nepotem veſtrum ter maximum Jeſum Chriſtum, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

LITANIÆ
De B.V.M.

KYrie eleyſon.
Chriſte eleyſon.
Kyrie eleyſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos,
Pater de Cœlis DEus, Miſerere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miser.
Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Jesu Christi,
Mater divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Mater misericordiæ,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiæ,
Sedes sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Vas honorabile,
Vas inſigne devotionis,
Roſa myſtica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis Arca,
Janua Cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Conſolatrix afflictorum, Ora pro nobis.
Auxilium Chriſtianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apoſtolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confeſſorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium, Ora pro nobis.
Regina animarum in purgatorio exiſten-
tium, Ora pro eis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Par-
ce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exau-
di nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleyſon, &c.

SUb tuum præſidium confugimus Sancta Dei Genitrix noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos Virgo ſemper glorioſa & benedicta: Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra: tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræſenta.

Verſ. Angelus Domini nunciavit Mariæ,
Reſp. Et concepit de Spiritu ſancto.

Oratio.

GRatiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde, ut qui Angelo nunciante Chriſti Filii tui Incarnationem cognovimus. Per Paſſionem ejus & Crucem ad Reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem &c.

Oratio ad B. V. M.

O Maria DEI Genitrix & Virgo gloriosa, omnium desolatorum ad te clamantium consolatrix vera : per illud magnum gaudium quo consolata es quando cognovisti Dominum Jesum die tertia à mortuis impassibilem resurrexisse. Sis consolatrix animæ meæ & apud eundem tuum & Dei Natum unigenitum in die novissimo quando cum anima & corpore ero resurrecturus, & de singulis meis factis rationem redditurus, me digneris juvare, ut perpetuæ damnationis sententiam per te pia Mater & Virgo valeam evadere, & cum electis DEI omnibus ad æterna gaudia feliciter pervenire. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

ORATIO PERPULCHRA,

Ad Virginem gloriosam Mariam.

AVe mundi spes Maria, Ave mitis, ave pia, Ave plena gratiâ, omnis boni copia. Ave Virgo Mater Christi, tu quæ sola meruisti, esse Mater sine viro, & lacta-

re more miro, Angelorum imperatrix, peccatorum consolatrix, consolare me lugentem, in peccatis jam fœtentem. Consolare peccatorem, & ne tuum des honorem alieno aut crudeli, precor te Regina Cœli. Me habeto excusatum, apud Christum tuum Natum, cujus iram expavesco, & furorem pertimesco. Nam peccavi ipsi soli, O Maria Virgo, noli mihi esse aliena, gratia Cœlesti plena. Esto custos cordis mei, signa me timore Dei, confer vitæ sanitatem, & da morum honestatem. Da peccata me vitare, & quod justum est amare, ô dulcedo Virginalis, nunquam fuit nec est talis inter natos mulierum omnium Creator rerum. Te elegit genitricem qui Mariam peccatricem emundavit à reatu, Ipse me tuo precatu, à peccatis cunctis tergat, ne infernus me demergat. Eja rosa sine spina, peccatorum medicina, pro me Christum interpella, hujus mundi tam immundi, cujus fluctus furibundi, omni parte me impingunt, & peccati zona stringunt. Christe Fili summi Patris, per amorem tuæ Matris, cujus

venter

venter te portavit, & te dulci lacte pavit. Te per ipsam rogo supplex, quia tu es salus duplex: salus rerum mundanarum, atque salus animarum. Te nunc precor licet reus, miserere mei Deus, miserere Christe mei, miserere Fili Dei, miserere miserator, quia verè sum peccator. Tu peccata dele mea, & cor mundum in me crea. Da spem firmam, fidem rectam, charitatemque perfectam, & concede finem bonum, quod est super omne donum, ut in corde sic compungar, tibique Christe conjungar. Fac me digne manducare, corpus tuum salutare. Ira tua non me gravet, sangvis tuus sic me lavet, in corpore atque corde, à peccatis & à sorde, ut cùm instet hora mortis, Angelus tum adstet fortis, à te datus mihi Custos, qui me locet inter justos. Mors si carnem meam frangat, mors secunda non me tangat, licet caro computrescat, spiritus in te quiescat. Ut dum surgam te visurus semper tecum sim mansurus, à te nunquam recessurus, per infinita sæcula. Audi nos nam Filius tuus nihil negans te honorat. Salva nos Jesu pro quibus Virgo Mater te orat. Amen.

ORATIO,

De ſeptem Doloribus B. V. M.

Primus Dolor

AVe dulcis Mater Chriſti, quæ dolebas corde triſti, te docente Simeone, de diræ mortis mucrone. Sis memor hujus doloris, nunc & in omnibus horis: fac me pie memorari, pœnam mortis tui chari. Ave Maria &c.

Secundus Dolor.

Ave dulcis Mater Chriſti, quæ in Ægyptum fugiſti flens, ubi notis carebas, & labore tabeſcebas. Nunc quæſo ſis exilii tui memor ac Filii dare mihi & Filium tuum poſt hoc exilium. Ave Maria.

Tertius Dolor.

Ave dulcis Mater Chriſti, quæ dolebas corde triſti, Natum requirens inclytum tribus diebus perditum Pro hac tua mæſtitia, fac me in ejus gratia inventum per te leniter, perſeverare jugiter. Ave Maria. &c.

Quar-

Quartus Dolor.

Ave dulcis Mater Chriſti, quæ dolens & flens vidiſti captum, vinctum, dire cæſum, plenum probris dulcem Jeſum. Hujus memor triſtitiæ Mater miſericordiæ, à dæmonis inſidiis ſerva me & opprobriis. Ave Maria. &c.

Quintus Dolor.

Ave dulcis Mater Chriſti, quæ dolens & flens vidiſti, Cruci nexum ſpecioſum Jeſum, factum ut leproſum. Per dolorem hunc tam fortem & per Nati tui mortem, in hora mortis ultima, adſis mihi chariſſima. Ave Maria.

Sextus Dolor.

Ave dulcis Mater Chriſti, quæ de cruce ſuſcepiſti ulnis Jeſum jam mortuum, piorum plena fletuum ulnis tuæ clementiæ, fove me Mater gratiæ cum omnibus fidelibus, ſolamina poſcentibus. Ave Maria.

Septimus Dolor.

Ave quæ poſt mortem Chriſti, dolendo ſæpe vidiſti, cuncta loca Martyrii ejus plena ſuſpiriis. Ob pœnas quas ſuſceperas, iſta

loca dum videras; da post hæc transitoria mihi locum in gloria. Ave Maria &c.

In honore nunc tantorum, cæterorumque dolorum, quos pro Nato corde tristi Virgo unquam pertulisti. Meam tibi miseriam committens serva animam, semperque sis doloribus dulcis adjutrix omnibus.

O clemens ô pia ò dulcis Virgo Maria.
O Mater Dei memento mei.

Hymnus.

STabat Mater dolorosa,
Juxta Crucem lachrimosa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristantem & dolentem,
Pertransivit gladius.
O quam tristis & afflicta,
Fuit illa benedicta,
Mater Unigeniti;
Quæ merebat & dolebat,
Et tremebat cùm videbat,
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo qui non fleret,

Christi Matrem si videret,
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari
Piam Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis,
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem Natum,
Morientem desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eja Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris,
Fac ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum,
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.
Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo valide.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.

Juxta Crucem tecum stare,
Te libenter sociare,
In planctu desidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hâc inebriari,
Ob amorem Filii.
Inflammatus & accensus,
Per te Virgo sim defensus,
In die Judicii.
Fac me cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoveri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac ut anima donetur,
Paradisi gloriâ, Amen.

Vers. Tuam ipsius animam gladius pertransivit,
Resp. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oratio.

Oratio.

INterveniat pro nobis quæſumus Domine JESU Chriſte, nunc & in hora mortis noſtræ apud tuam clementiam Beata Virgo Maria Mater tua: cujus ſacratiſſimam animam in hora tuæ Paſſionis, doloris gladius pertranſivit. Per te JEſu Chriſte Salvator mundi: qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas in ſæcula.

Oratio De ſeptem Gaudiis B. M. V.

GAude Virgo Mater Chriſti, quæ Puerum concepiſti Gabriele nuntio. Ave Maria. &c.

Gaude quia Deo plena, peperiſti sine poena cum pudoris lilio. Ave Maria &c.

Gaude quia oblatio, Regum quoque devotio exhibetur Filio. Ave Maria &c.

Gaude quia tui Nati, quem videbas mortem pati, fulget reſurrectio. Ave Maria.

Gaude Chriſto aſcendente, qui in Cœlum te vidente motu refertur proprio. Ave Maria &c.

Gaude quia Paracletus, demiſſus fuit cœlitus in tuo collegio. Ave Maria &c.

Gaude

Gaude quæ post Christum scandis & est honor tibi grandis, in cœli palatio. Ave Maria. &c.

Ibi fructus ventris tui, per te nobis detur frui in perenni gaudio. Amen.

Vers. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,

Resp. Ut digni efficiamur &c.

Oratio.

DEus qui beatissimam Virginem Mariam in conceptu & partu dilecti Filii tui Virginitate servata, duplici gaudio lætificâsti, quique ejus gaudia (eodem Filio tuo à mortuis resurgente) multiplicâsti; tribue quæsumus, ut ad illud ineffabile gaudium, quo tecum assumpta gaudet in cœlis, ejus meritis & precibus pervenire mereamur. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat &c.

Orationes ad eandem Virginem Mariam De Gaudiis supercœlestibus.

I. Gaudium.

GAude Flore Virginali,
Quæ honore speciali,
Transcendis splendiferum,
Angelorum Principatum,
Et Sanctorum decoratum.

II. Gaudium.

GAude Sponsa chara Dei,
Nam ut clara lux diei,
Solis datur lumine,
Sic tu facis Orbem verè
Tuæ faciei respondere
Lucis claritudine.

III. Gaudium.

GAude splendens vas virtutum,
Cujus pendens est ad nutum,
Tota cœli Curia.
Te benignam ac felicem

Jesu dignam Genitricem,
Venerans in Gloria.

IV. Gaudium.

GAude nexu voluntatis,
Et amplexu charitatis,
Juncta sis altissimo.
Et ad vocem consequaris,
Quidquid Virgo deprecaris,
A JEsu dulcissimo.

V. Gaudium.

GAude Mater miserorum,
Quia Pater sæculorum,
Dabit te colentibus.
Congruentem hic mercedem,
Et felicem poli sedem,
Regnis in cœlestibus.

VI. Gaudium.

GAude Virgo Mater Christi,
Tu quæ sola meruisti,
O Virgo piissima,
Esse tantæ dignitatis,
Ut sis sanctæ Trinitatis,
Sessione proxima.

VII. Gaudium.

GAude Virgo Mater pura,
Certa manens & ſecura,
Quia tua gaudia,
Non ceſſabunt, & floreſcent,
Per æterna ſæcula. Amen.

Verſ. Exaltata es ſancta Dei Genitrix,
Reſp. Super Choros Angelorum ad cœleſtia regna.
Verſ. Domine exaudi orationem meam,
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DUlciſſime Domine JESU Chriſte, qui beatiſſimam Genitricem tuam glorioſiſſimam Virginem Mariam, perpetuis & felicibus gaudiis in cœlo lætificâſti, concede propitius, ut ejus meritis & precibus ſalutem mentis & corporis conſequamur, & ad gaudia tua beatitudinis æternæ feliciter perveniamus. Qui vivis & regnas &c.

ROSARIUM Devotissimum B.M.V. in tres partes divisum.

Prima Pars SS. Rosarii proponit quinq; Mysteria læta.

1. Annunciationis. 2. Visitationis. 3. Nativitatis. 4. Oblationis. 5. Inventionis in templo Salvatoris nostri.

Primum Mysterium.

Quo Sanctissimæ Virgini Mariæ Archangelus Gabriel nunciavit Dei conceptum.

Dic 1. Pater noster. 10. Ave Maria.

Oratio.

O Amantissima & in æternum benedicta Virgo Maria, tibi offero has salutationes in memoriam illius gaudii quod habuisti quando Angelo nunciante, & Spiritu sancto superveniente, & in castissimis tuis visceribus Filium Dei concepisti. Rogo te ô Domina mea suavissima ut illam gratiam

tiam mihi impetres, quâ & ego eundem Dei & tuum Filium ſpiritualiter concipere & in anima mea ſemper conſervare poſſim. Amen.

II. Myſterium.

Virgo ſanctiſſima DEO fœta viſitat Eliſabetham.

1. Pater noſter. 10. Ave Maria

Oratio.

O Benigniſſima, & in æternum benedicta Virgo Maria tibi offero has ſalutationes, in memoriam illius gaudii quod habuiſti quando ad montana conſcendens, Eliſabetham cognatam tuam viſitâſti. Et rogo te ô Domina mea ſuaviſſima, dignare quoque & animam meam inviſere, & concede, ut cunctis diebus vitæ meæ fideliter tibi ſerviam, teque ex toto corde diligam. Amen.

III. Myſterium.

Naſcitur Salvator in Bethleem Civitate David.

1. Pater noſter. 10. Ave Maria.

Oratio.

O Clementissima & in æternum benedicta Virgo Maria tibi offero has salutationes, in memoriam illius gaudii quod habuisti, quando in stabulo existens, sine dolore & sine Virginitatis tuæ læsione, Salvatorem mundi peperisti. Et rogo te ô; Domina mea suavissima tuos misericordes oculos ad me converte & Jesum benedictum ventris tui fructum non solum post hoc exilium; sed etiam in exilio nunc mihi ostende.

IV. Mysterium.

Parvulus Salvator offertur in templo Salomonis.

1. Pater noster. 10. Ave Maria.

Oratio.

O Dignissima & in æternum benedicta Virgo Maria, tibi offero has salutationes, in memoriam illius gaudii quod habuisti quando dulcissimum Filium tuum quadraginta dierum in templo præsentâsti, teque purificandam obtulisti. Et rogo te ô Do-

ô Domina mea ſuaviſſima ut illâ puriſſimâ tuâ oblatione, ſic cuncta peccata mea digneris abluere, ut in templum cœleſtis habitaculi mundus & purificatus merear introire.

V. Myſterium.

Doctoris officio defungens JEſus duodennis in templo reperitur.

1. Pater noſter. 10. Ave Maria.

O Excellentiſſima & in æternum benedicta Virgo Maria, tibi offero has ſalutationes, in memoriam illius gaudii quod habuiſti quando dulciſſimum tuum Filium duodennem triduo amiſſum in Templo inter Doctores inveniſti. Et rogo te ô Domina mea ſuaviſſima, da mihi ut ardenti ſemper deſiderio quæram Filium tuum, quærendo etiam inveniam, inveniendo amem, amando vitam meam corrigam, & nunquam eum amplius offendam.

Secunda Pars SS. Roſarii.

Proponit quinque Myſteria triſtia.

1. Orationem in horto. 2. Flagellationem. 3. Coronationem. 4. Bajulationem Crucis. 5. Affixionem Cruci Salvatoris noſtri.

Singula expende.

I. Myſterium.

Agonizans Salvator orat ſangvineo ſudore madidus in horto.

1. Pater noſter. 10. Ave Naria.

O Feliciſſima & in æternum benedicta VirgoMaria tibi offero has ſalutationes in memoriam immenſi illius doloris quem habuiſti quando dilectiſſimum tuum Filium à Judæis captum, & crudeliter afflictum intellexiſti. Et rogo te ô Domina mea ſuaviſſima, impetra mihi ut benedictus Filius tuus per crudelem hanc captivitatem ſuam à vinculis peccatorum me abſolvat ſuaque dulcedine & amore me capiat captumque perpetuum me poſſideat.

II. Mysterium.

Vinctus Salvator ad columnam marmoream flagellatur.

1. Pater noster. 10. Ave Maria.

O Gloriosissima & in æternum benedicta Virgo Maria tibi offero has salutationes, in memoriam immensi illius doloris quem habuisti quando dilectissimum Filium tuum horrendis flagris, crudelissimè toto corpore dilaniatum vidisti. Et rogo te ô Dña mea suavissima, illam mihi virtutem impetra, qua lætus & gaudens suscipiam, patienterque sustineam flagella, quibus clementissimus Pater me in hac vita visitaverit.

III. Mysterium.

DEUS in rubo coronatur sentibus.

1. Pater noster. 10. Ave Maria.

O Honorabilissima & in æternum benedicta Virgo Maria, tibi offero has salutationes, in memoriam immensi illius doloris quem habuisti quando dilectissimum tuum Filium, chlamyde purpurea circumdatum

datum & crudelissimè spinis coronatum vidisti. Et rogo te o Domina mea suavissima, age ut Filius tuus cor meum durissimum spinis suis vulneret, suæque Passionis jugi memoria illud repleat, ut quocunque me vertero, quidquid egero vel cogitavero, Passio ejus semper in corde meo versetur.

IV. Mysterium.

Bajulat Crucem Salvator morte condemnatus.

1. Pater noster 10. Ave Maria.

O Innocentissima & in æternum benedicta Virgo Maria, tibi offero has salutationes, in memoriam immensi illius doloris quem habuisti, quando dilectissimum tuum Filium ignominiosum Crucis lignum bajulantem, foras educi, & crudeliter affligi vidisti. Et rogo te ô Dña mea suavissima impetra mihi; ut & ego alacri & devoto corde Crucem Filii tui amplectar, negando memetipsum, & exempla virtutum ejus cum ferventi charitate imitando, ut illum humiliter in mortem subsequi merear.

V.

V. Myſterium.

Cruci affigitur Salvator in monte Calvariæ.

1. Pater noſter 10. Ave Maria.

O Caſtisſima & in æternum benedicta Virgo Maria, tibi offero has ſalutationes, in memoriam immenſi illius doloris, quem habuiſti, quando dilectisſimum tuum Filium ſuper Crucem dirè extenſum & clavis affixum, ab omnibus derelictum & deſpectum, felle & aceto potatum, atque morientem vidiſti. Et rogo te ô Domina mea ſuavisſima, impetra mihi, ut Filius tuus me faciat ab omnibus quæ mundi ſunt exui, & in Cruce una ſecum à terra ſublevari; ut omnibus vitiis & concupiſcentiis Crucifixus ac mortuus in ejus ſemper vulneribus merear converſari.

Tertia Pars SS. Roſarii.

Proponit quinque Myſteria glorioſa.

1. Reſurrectionem è Sepulchro Salvatoris. 2. Aſcenſionem in Cœlum ejusdem. 3. Misſionem Spiritus Sancti in Diſcipulos.

4. Assumptionem Virginis Mariæ. 5. Gloriam ejusdem super choros Angelorum.

I. Mysterium.

Resurrexit Salvator à funere, victor rediit à Barathro.

1. Pater noster. 10. Ave Maria.

O Laudabilissima & in æternum benedicta Virgo Maria, tibi offero has salutationes in memoriam illius gaudii quod habuisti quando dilectissimus tuus Filius à mortuis resurgens gloriosum & vivum se tibi videndum præbuit. Et rogo te ô Domina mea suavissima, impetra mihi, ut anima mea ruptis mortiferis laqueis peccatorum, resurgat ad vitam gratiæ, ut in posterum ambulans in novitate vitæ, effloresçat in omni virtute.

II. Mysterium.

Ascendit ad Cœlos, & ad dexteram Patris considet Triumphator.

1. Pater noster 10. Ave Maria.

O Misericordissima, & in æternum benedicta Virgo Maria, tibi offero has salu-

ſalutationes in memoriam illius gaudii quod habuiſti quando dilectisſimum tuum Filium cum gloria & triumpho ad Cœlos aſcendentem vidiſti. Et rogo te ô Domina mea ſuavisſima, ſupplica Filio tuo, ut ſic velit mentem meam ad ſe trahere, ut abſtracta ab omni terreno deſiderio, illum ſolum ardenti ſtudio quærat & deſideret: & eodem quo ipſe aſcendit, ego etiam omni conatu ſtudeam aſcendere.

III. Myſterium.

Salvator mittit Spiritum ſanctum in Diſcipulos.

1. Pater noſter. 10. Ave Maria.

O Nobilisſima & in æternum benedicta Virgo Maria, tibi offero has ſalutationes in memoriam illius gaudii quod habuiſti quando Spiritus ſanctus in lingvis igneis, ſuper te, Diſcipulosque deſcendit. Et rogo te ô Domina mea ſuavisſima impetra mihi ardentisſimam fidelisſimamque charitatem, ut Spiritus ſanctus adveniens me totum impleat regat & posſideat, atque uberioribus donis gratiæ ſuæ dignum efficiat.

IV. Mysterium.

Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum.

1. Pater noster. 10. Ave Maria.

O Optima & in æternum benedicta Virgo Maria, tibi offero has salutationes in memoriam illius gaudii, quod habuisti, quando innixa super dilectum tuum in anima simul & corpore gloriosè Cœlos invecta fuisti. Et rogo te ô Domina mea suavissima ut non derelinquas me in horrendæ mortis hora, sed tunc mihi adsis protectrix fidelissima, ut tuis meritis abundantissimis stipatus, nullas inimicorum insidias pertimescam: sed cum gaudio à te perduci & in conspectu benedictissimi Filii tui lætus præsentari, atque sine fine tecum commorari merear.

V. Mysterium.

Maria Virgo Stellis coronata regnat in Cœlis.

1. Pater noster 10. Ave Maria.

O Piissima & in æternum benedicta Virgo

go Maria, tibi offero has ſalutationes in memoriam illius gaudii, quod habuiſti, quando ſuper omnes Cœlos exaltata, Regina Angelorum, omniumque creaturarum Domina coronata es. Et rogo te ô Domina mea ſuaviſſima, impetra mihi, ut vitam tuam, & eas virtutes, quibus ad tantam ſublimitatem perveniſti, pro modulo aliquo imitari merear, cuſtodi & dirige me, ut in omni bono virtuteque hic ita proficiam, ut tandem tuo favore, gloria coronari merear in Cœlis. Amen.

Orationes B. V. M.

IN manus tuas o Sanctiſſima Virgo Maria, ego indignus peccator commendo corpus meum & animam meam, ſenſus meos & actus meos, Parentes, conſangvineos, amicos vivos & defunctos, & omnes mihi recommendatos, & quibus debitor ſum. Miſerere noſtri clementiſſima Virgo Maria, Mater Domini noſtri JEſu Chriſti. Inclina nunc pias aures tuas ad preces meas, & libera nos ab omni tribulatione, anguſtia, & omnibus nos affligentibus ac calumniantibus. O pia Dei Genitrix Virgo Maria, ne per-

permittas me amplius tentari, quam mea fragilitas sustinere potest. O Domina gloriosissima V. M. ne derelinquas me in tribulatione mea, ut non corruam in conspectu adversariorum meorum ne de me gaudeant inimici, sed me confortet tua gratia ad voluntatem Filii tui faciendam, & ad propositum meum ipsi fideliter observandam. Ad te dulcissima Virgo Maria petitiones meæ, & dolores cordis mei ascendant: ne quæso revertatur vacua ad me deprecatio mea, sed misericordia tua præveniat, & sequatur me usque in senectam & senium. O Domina præstantissima, dignissima, pulcherrima, misericordissima V. M. ne derelinquas me in hora mortis meæ: sed ab omni malo me tunc eripias, & perducas miseram animam meam in locum refrigerii, pacis, & quietis. Ubi benedicat & glorificet atque laudet JEsum Christum tuum una cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio B. M. V.

DEcies millies te benedicant Virgo Mater gloriosa Maria omnes Sancti Angeli

li & Archangeli, universique cœlestis curiæ Spiritus, cum quibus speramus te aliquando videre colereque in cœlo. Amen.

Vicies millies te benedicant Virgo Mater gloriosa Maria omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, Innocentes, S. Joannes Baptista & omnes sancti veteris testamenti, cum quibus speramus. &c.

Tricies millies te benedicant Virgo Mater gloriosa Maria omnes sancti Apostoli & Discipuli Domini, Evangelistæ & omnes gloriosi Martyres. Cum &c.

Quadragies millies te benedicant Virgo Mater gloriosa Maria omnes SS. Confessores, Doctores, Monachi, Eremitæ, Vidui, Conjugati. Cum quibus &c.

Quinquagies millies te benedicant Virgo Mater gloriosa Maria, S. Anna Mater tua, Elisabeth cognata tua, Martha, Magdalena, & omnes sanctæ Virgines, Viduæ, Conjugatæ. Cum quibus speramus te aliquando videre, colereque in Cœlo. Amen.

Salu-

Salutatio brevis B. M. V.

Ave Maria,
Ancilla sanctæ Trinitatis humillima.
Ave Maria,
Præelecta Dei Patris sanctissima.
Ave Maria,
Sponsa S. Spiritus. amabilissima.
Ave Maria,
Mater Dñi nostri Jesu Christi dignissima.
Ave Maria,
Soror Angelorum pulcherrima.
Ave Maria,
Promissio Prophetarum desideratissima.
Ave Maria,
Regina Patriarcharum gloriosissima.
Ave Maria,
Magistra Evangelistarum veracissima.
Ave Maria,
Doctrix Apostolorum prudentissima.
Ave Maria,
Confortatrix Martyrum validissima.
Ave Maria,
Fons & plenitudo Confessorũ suavissima
Ave Maria,
Decus & Corona Virginum jucundissima.

Ave Maria,

Salus & consolatrix vivorum & mortuorum promptissima. Mecum sis in omnibus tentationibus, tribulationibus, necessitatibus angustiis & infirmitatibus meis, & maxime in hora mortis meæ non desis mihi & impetra mihi omnium peccatorum veniam & Cœlestis Patriæ gloriam. Amen.

Ave sanctissima Maria Mater Dei, Regina Cœli porta paradisi, Domina mundi, Tu es singularis Virgo pura, Tu concepisti Creatorem & Salvatorem mundi. Ora pro nobis JEsum dilectum filium tuum ut liberet nos ab omnibus malis. Amen.

Oratio.

O Domina, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræsenta. Fac o benedicta per gratiam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti ut qui te mediante dignus est fieri particeps infirmitatis & misericordiæ nostræ. Te quoque intercedente participes nos faciat beatitudinis & gloriæ suæ JESUS Chri-

Christus Filius tuus Dominus noster qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

Septem Psalmi Pœnitentiales B. M. V.
Ex Psalterio S. Bonaventuræ desumpti.

Antiph, *Sub tuum præsidium.*

DOmina ne in furore sinas corripi me: neque in ira ejus judicari.

Propter honorem nominis tui Domina propitietur nobis fructus gloriosi ventris tui.

De porta inferi, & de ventre abyssi, sanctis precibus libera nos.

Aperiantur nobis januæ sempiternæ: ut enarremus in æternum mirabilia tua.

Quia non mortui neque qui in inferno sunt laudabunt te Domina: sed qui tua intercessione vitam æternam obtinebunt.

Gloria Patri &c.

BEati quorum corda te diligunt Virgo Maria: peccata ipsorum à te misericorditer diluentur.

Sancta, casta, & florigera ubera tua: quæ

quæ in florem viriditatis perpetuæ eruperunt.

Decor pulchritudinis tuæ corruptionem non videbit: & vultus tui gratia in perpetuum non marceſcet.

Benedicta tu Virga Jeſſe ſublimis: quæ te usque ad ſedentem in throno dilatâſti.

O Virgo Regina, tu ipſa es via: per quam nos ſalus de ſupernis ſedibus viſitavit.

Gloria Patri &c.

DOmina ne in furore ſuo arguat me Dominus: nobis veniam obtine de peccatis.

In conſpectu tuo ſit omne deſiderium noſtrum: ſpes noſtra & confidentia noſtra.

Cor meum conturbatum eſt in me: receſſit lux de viſceribus meis.

Illumina ſplendore tuo cæcitatem meam: dulcifica dulcore tuo contritionem meam.

Ne derelinquas nos Domina Mater Dei: gratia tua & virtus ſit à dextris meis.

Gloria Patri &c.

MIserere mihi Domina : quæ Mater misericordiæ nuncuparis.

Et secundum viscera misericordiarum tuarum : munda me ab omnibus iniquitatibus meis

Effunde gratiam tuam super me : & solitam clementiam tuam ne subtrahas à me.

Quoniam peccata mea confitebor tibi ; & coram te me accuso de sceleribus meis.

Fructui ventris tui me reconcilia & purifica me ei qui me creavit.

Gloria Patri &c.

DOmina exaudi orationem meam : & clamor meus ad te veniat.

Non avertas sacrum aspectum tuum à me : neque abomineris me propter immunditiem meam.

Ne derelinquas me in cogitatu & consilio inimicorum meorum : & non sinas me cadere in exprobrationem illorum pessimam.

Qui confidunt in te non timebunt colubrum tortuosum : & qui exaltant te præconiis, evadunt manus Acherontis.

Per Virginalem conceptum tuum da mihi

hi in te confidentiam bonam : & per admirabilem partum tuum lætifica animam meam.

Gloria Patri &c.

DE profundis clamavi ad te Domina : Domina exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes : in vocem laudis & glorificationis tuæ.

Libera me de manu adversariorum meorum : confunde ingenia & conatus eorum contra me.

Erue me in die mala : & in die mortis ne oblivis caris animæ meæ.

Deduc me ad portum salutis : inter justos scribatur nomen meum.

Gloria Patri &c.

DOmina exaudi orationem meam : percipe tuis auribus supplicationem meam.

Persecutus est malignus vitam meam : deposuit in terra conversationem meam.

Denigravit me caligine sua, & anxiatus est nimis spiritus meus.

Ne avertas faciem tuam à me : ut non corruam cum descendentibus in lacum.

Emitte lucem tuam & gratiam tuam :

& repara denuo vitam meam & conscientiam meam.

Gloria Patri &c.

Antiphona. Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei Genitrix nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta.

Duodecim Privilegia B. V. M.

1. Ave Mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium.

Ave Maria &c.

2. Ave tantæ dignitatis ut sis consors Dei Patris potens ad auxilium.

Ave Maria &c.

3. Ave tui Creatoris Mater nostri Redemptoris Virgo prudentissima.

Ave Maria &c.

4. Ave sponsa delicata, Paracleto consecrata ductrixque clementissima.

Ave Maria &c.

5. Ave semper Deo grata, omni aræ præsentata, cuiusvis peccaminis.

Ave Maria. &c

6. Ave

6. Ave donis illustrata, virtutibus adornata, cunctis quoque gratiis.

Ave Maria &c.

7. Ave Virgo peractiva, summeque contemplativa, omnium sanctissima.

Ave Maria &c.

8. Ave nostra consolatrix, Filii cooperatrix, Martyr constantissima.

Ave Maria &c.

9. Ave jam glorificata supra cunctos exaltata, corpore & animâ.

Ave Maria &c.

10. Ave sceptris & coronis, fulgens cunctis Dei donis, Christo sedens proxima.

Ave Maria &c.

11. Ave decus Angelorum, honor, gaudium Sanctorum, universis imperans.

Ave Maria &c.

12. Ave nostra mediatrix, afflictorum consolatrix nostri semper miserans.

Ave Maria &c.

PRÆFATIONES
Pro fidelibus defunctis.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit.

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.

Kyrie eleyson, Christe eleyson,
Kyrie eleyson.

Pater

Pater noster &c.
Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos à malo.
A porta inferi.
Erue Domine animas eorum.
Requiescant in pace. Amen.
Domine exaudi orationem meam.
Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

FIdelium Deus omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas &c.

Clemens Papa VIII.

Concessit, ut toties liberes animam è Purgatorio, quoties ad honorem sanctæ syndonis JESU Christi legis sequentem Orationem.

O DEus qui nobis in sancta Syndone, qua corpus tuum sacratissimum de cruce

depoſitum à Joſeph involutum fuit, Paſſionis tuæ veſtigia reliquiſti; concede propitius, ut per mortem & ſepulturam tuam, ad reſurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas in unitate Spiritus S. DEus Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Sequentia.

DIes iræ dies illa,
Solvet ſeclum in favilla,
Teſte David cum Sybilla.
Quantus tremor eſt futurus,
Quando Judex eſt venturus,
Cuncta ſtricte diſcuſſurus.
Tuba mirum ſpargens ſonum,
Per ſepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors ſtupebit & natura,
Cùm reſurget creatura,
Judicanti reſponſura.
Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur;
Unde Mundus judicetur.
Judex ergo cum ſedebit,
Quidquid latet apparebit,
Nil inultum remanebit.

Quid ſum miſer tum dicturus,
Quem Patronum rogaturus,
Dum vix juſtus ſit ſecurus.
Rex tremendæ Majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva me fons pietatis.
Recordare JESU pie,
Quod ſum cauſa tuæ viæ,
Ne me perdas illâ die.
Quærens me ſediſti laſſus,
Redemiſti crucem paſſus,
Tantus labor non ſit caſſus.
Juſte Judex ultionis,
Donum fac remiſſionis,
Ante diem rationis.
Ingemiſco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce DEus.
Qui Mariam abſolviſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.
Preces meæ non ſunt dignæ,
Sed tu bonus fac benignè,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præſta,
Et ab hœdis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro supplex & acclivis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.
Lachrimosa dies illa,
Qua resurget ex favilla,
Judicandus homo reus,
Huic ergo parce Deus,
Pie JEsu Domine,
Dona eis requiem.

Oratio.

DOmine DEus omnipotens miserere famulorum, famularumque tuarum, & gratiam, quam de te per Christum speraverunt, remissis criminibus ipsorum propitius tribue, ne in judicio cum eis contendas, ne æternis cruciatibus eos adjudices, sed eos tecum, in sempiternam quietem recipias, ubi ea omnia feliciter percipiant, quæ hic firmiter crediderunt. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Preca-

Precatio pro felici morte.

DOmine JEſu Chriſte vitæ & necis Princeps, cui & vivimus & morimur per ſacroſanctam & amariſſimã in Cruce mortem tuam precor, ut adventus in mea morte tuus me non uti dormientem, imparatum, & inertem, ſed vigilantem & frugi ſervum offendat. Ne permittas quæſo me impœnitentem ex hac migrare vita, & improviſa morte præoccupari: ſed moriturum maturè confirmes ac munias Catholica fide, verâ pœnitentia, pura confeſſione, digna ſatisfactione, & ſacratiſſimo Euchariſtiæ viatico, Oleique ſancti perceptione. Cùm cætera me omnia deſerant, quæ caduca & fluxa in hoc mundo poſſidentur, tu qui cum electis tuis perpetuo manes me non deſeras præſertim in extremo illo vitæ agone, quando cum infeſtiſſimo Satana vel maxime luctandum eſt. Aſſiſtant mihi tum in morte, Angeli tui & migraturum adverſus tentationes omnes protegant, tum in doloribus conſolentur atq; confirment: vigeant in me nunc fides, ſpes charitas & patientia: in manus tuas me animo

præſen

præſentem commendem, atque in pace ſancta obdormiam, ut in regnum tuum, quod nobis tanto pretio comparaſti, ſecurè tranſire poſſim. Memento mei Domine, qui regnum tuum pœnitenti latroni promittere ac pro ſumma clementia tua donare dignatus es.

Oratio ad B. V. M.

MAter digna Dei, veniæ via, luxque diei,
Sis tutela rei, Duxque comesque mei.
Sponſa Dei miſerere mei, lux alma diei,
Digna coli, Regina poli, me linquere noli.
Nixa Deum defende reum, mihi dando trophæum, Me tibi Virgo pia, ô Genitrix commendo Maria. JEſu Chriſte Fili Dei vivi miſerere mei. Chriſtus Rex fortis venit in pace, & DEus homo factus eſt. DEus propitius eſto mihi peccatori & cuſtos animæ meæ nunc & ſemper & ubique. Amen.

Oratio ad poſcenda ſuffragia Sanctorum.

A Cunctis nos Domine quæſumus mentis

tis & corporis defende periculis: & intercedente Beata & glorioſa ſemper Virgine DEI Genitrice Maria, cum beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Beato Adalberto, Staniſlao, Floriano, Hyacintho, Caſimiro, Joanne Cantio, (invoca Patronum tuum N. N.) & omnibus ſanctis ſalutem nobis tribue benignus & pacem, ut deſtructis adverſitatibus, & erroribus univerſis, Eccleſia tua ſecura tibi ſerviat libertate. Per Dominum &c.

Ad ſerviendum ſacro Miniſtratura cum reſponſione.

S*Acerdos* Introibo ad Altare Dei.

Miniſter. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Judica me DEus & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta ab homine iniquo & doloſo erue me.

M. Quia tu es DEus fortitudo mea, quare me repuliſti, & quare triſtis incedo dum affligit me inimicus meus.

S. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: Ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum & in tabernacula tua.

M. Et

M. Et introibo ad Altare DEI: Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in Cythara Deus Deus meus: quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me.

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei & Deus meus.

S. Gloria Patri & Filio & Spiritui S.

M. Sicut erat in principio. &c.

S. Introibo ad Altare Dei.

M. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

M. Qui fecit cœlum & terram.

CОnfiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo omnibus Sanctis & tibi Pater quia peccavi nimis cogitatione verbo & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatam Mariam ſemper Virginem, Beatum Michaelem Archangelum, Beatum Joannem Baptiſtam Sanctos Apoſtolos, Petrum & Paulum omnes Sanctos & te Pater orare pro me ad Dñum Deum noſtrum. *S.* Mi-

S. Misereatur vestri omnipotens Deus & dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam. *M.* Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum, tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus. *M.* Amen.

S. Deus tu conversus vivificabis nos.
M. Et plebs tua lætabitur in te.

S. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine exaudi orationem meam.
M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.
M. Et cum Spiritu tuo.

Vesperæ de Dominicis & Festis.

Pater noster. Ave Maria.

Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum &c. Gloria Patri &c.

Antiphona. Dixit Dominus.

Psalmus 109.

DIxit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: scabellum pedum tuorum. Vir-

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum: ex utero ante Luciferum genui te.

Juravit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ ſuæ Reges.

Judicabit in nationibus implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

Gloria Patri &c.

Antiph. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.

Antiph. Fidelia.

Pſalmus. 110.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: in conſilio juſtorum & congregatione.

Magna opera Domini: exquiſita in omnes voluntates ejus.

Con-

Confeſſio & magnificentia opus ejus : & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui : virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo

Ut det illis hæreditatem gentium : opera manuum ejus veritas & judicium.

Fidelia omnia mandata ejus confirmata in ſæculum ſæculi : facta in veritate & æquitate.

Redemptionemmiſit populo ſuo : mandavit in æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum & terribile nomen ejus : initium ſapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in ſæculum ſæculi.

Gloria Patri &c.

Antiph. Fidelia omnia mandata ejus : confirmata in ſæculum ſæculi.

Antiph. In mandatis.

Pſalmus III.

BEatus vir qui timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

Gloria & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors & miserator & justus:

Jucundus homo qui miseretur & commodat disponet sermones suos in judicio: quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit justus ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino confirmatum est cor ejus: non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit & irascetur dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri &c.

Antiphona. In mandatis ejus cupit nimis.

Antiph. Sit nomen Domini.

Psalmus 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra,

Suscitaus à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri &c.

Antiph. Sit nomen Domini benedictum in sæcula.

Antiph. Nos qui vivimus.

Psalmus 113.

IN exitu Israel de Ægypto: domus Jacob de populo barbaro.

Facta est Judæa sanctificatio ejus: Israel potestas ejus.

Mare vidit & fugit: Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes: & colles sicut agni ovium.

Quid eſt tibi mare quod fugiſti : & tu Jordanis quia converſus es retrorſum.

Montes exultaſtis ſicut arietes : & colles ſicut agni ovium.

A facie Domini mota eſt terra : à facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in ſtagna aquarum : & rupem in fontes aquarum.

Non nobis Domine non nobis : ſed nomini tuo da gloriam.

Super miſericordia tua & veritate tua : ne quando dicant gentes ubi eſt Deus eorum ?

Deus autem noſter in cœlo : omnia quæcunque voluit fecit.

Simulacra gentium argentum & aurum : opera manuum hominum.

Os habent & non loquentur : oculos habent & non videbunt.

Aures habent & non audient : nares habent & non odorabunt.

Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt nec clamabunt in gutture ſuo.

Similes illis fiant qui faciunt ea : & omnes qui confidunt in eis.

Domus Iſrael ſperavit in Domino : adjutor eorum & protector eorum eſt.

Do-

Domus Aaron ſperavit in Domino: adjutor eorum & protector eorum eſt.

Qui timent Dominum ſperaverunt in Domino: adjutor eorum & protector eorum eſt.

Dominus memor fuit noſtri & benedixit nobis.

Benedixit domui Iſrael: benedixit domui Aaron,

Benedixit omnibus qui tibi Dominum: puſillis cum majoribus.

Adjiciat Dominus ſuper vos: ſuper vos & ſuper filios veſtros.

Benedicti vos à Domino qui fecit cœlum & terram.

Cœlum Cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui deſcendunt in infernum.

Sed nos qui vivimus benedicimus Domino: ex hoc nunc & usque in ſæculum.

Antiph. Nos qui vivimus benedicimus Domino.

Capitulum.

Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri JEſu Chriſti: Pater miſericordiarum,

& DEus totius consolationis: qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Hymnus.

Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novæ,
Mundi parans originem.
Qui mane junctum vesperi,
Diem vocari præcipis,
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.
Ne mens gravata crimine,
Vitæ sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat.
Seseq; culpis illigat.
Cælorum pulset intimum,
Vitale tollat præmium;
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne pessimum.
Præsta Pater piissime
Patrique compar unice,
Cum Spiritu Paracleto,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Vers. Dirigatur Domine oratio mea.
Resp. Sicut incensum in conspectu tuo.

Canti-

Canticum B. M. V. Lucæ 1.

MAgnificat : anima mea Dominum.

Et exultavit Spiritus meus : in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt : & ſanctum nomen ejus.

Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo : diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum : recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad Patres noſtros : Abraham & ſemini ejus in ſæcula.

Gloria Patri & Filio & Spiritui S. Sicut erat in principio, &c.

Questi salmi si dicono al Vespero la Vigilia di Natale del nostro Signor Giesu Christo.

Dixit Dominus. *ut supra.*
Confitebor. *ut supra.*
Beatus vir. *ut supra.*
Laudate pueri. *ut supra.*

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes : laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri &c.

Magnificat. *ut supra.*

Questi salmi si dicono il giorvo di Natale, & per tuta la Ottava di nostro signore al Vespero.

Dixit Dominus. *ut supra.*
Confitebor. *ut supra.*
Beatus vir. *ut supra.*

Psal-

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit.

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A Cuſtodia matutina usque ad noctem: ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri & Filio &c.

Psalmus 131.

MEmento Domine David, & omnis manſvetudinis ejus.

Sicut juravit Domino: votum vovit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.

Si dedero somnum oculis meis : & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis : donec inveniam locum Domino : tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eum in Ephrata : invenimus eum in campis sylvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus : adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam : & sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion : elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus ſaturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam ſalutari: & ſancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David, paravi lucernam Chriſto meo.

Inimicos ejus induam confuſione: ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

Gloria Patri & Filio &c.

Magnificat *ut ſupra.*

Queſti ſalmi ſi dicono a tuti i Veſperi de lie feſte degli Apoſtoli & Evangeliſti.

Dixit Dominus. *ut ſupra.*
Laudate pueri. *ut ſupra.*

Pſalmus 115.

CRedidi propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.

Cali-

Calicem ſalutaris accipiam : & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine quia ego ſervus tuus : Ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea : tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus : in atriis domus Domini in medio tui Jeruſalem.

Gloria Patri & Filio & Spiritui S. &c.

Pſalmus 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion : facti ſumus ſicut conſolati.

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum : & lingva noſtra exultatione.

Tunc dicent inter gentes : magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiſcum : facti ſumus lætantes.

Converte Domine captivitatem noſtram : ſicut torrens in Auſtro.

Qui ſeminant in lachrimis : in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua.

Venientes autem venient cum exultatione : portantes manipulos ſuos.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 138.

DOmine probaſti me & cognoviſti me : Tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam.

Intellexiſti cogitationes meas de longe: ſemitam meam & funiculum meum inveſtigâſti.

Et omnes vias meas prævidiſti : quia non eſt ſermo in lingva mea.

Ecce Domine tu cognoviſti omnia noviſſima & antiqua : tu formâſti me & poſuiſti ſuper me manum tuam.

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me : confortata eſt & non potero ad eam.

Quo ibo à Spiritu tuo ? & quo à facie tua fugiam.

Si aſcendero in cœlum , tu illic es : ſi deſcendero in infernum ades.

Si ſumpſero pennas meas diluculo : & habitavero in extremis maris. Ete-

Etenim illuc manus tua deducet me : & tenebit me dextera tua.

Et dixi : forsitan tenebræ conculcabunt me : & nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos :suscepisti me de utero matris meæ.

Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.

Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto : & substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur : dies formabuntur & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus : nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur : exurrexi & adhuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores : viri sangvinum declinate à me.

Quia

Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne qui oderunt te Domine oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcam.

Perfecto odio oderam illos: & inimici facti ſunt mihi.

Proba me Deus & ſcito cor meum: interroga me & cognoſce ſemitas meas.

Et vide ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna.

Gloria Patri & Filio & Spiritui S. &c.

Magnificat anima mea. *ut ſupra.*

Veſperæ D B. M. V. Poſt Adventum.

Deus in adjutorium meum intende &c.
Gloria Patri & Filio & Spiritui S. &c.
Dixit Dominus. *ut ſupra.*
Laudate pueri. *ut ſupra.*

Pſalmus 121.

LÆtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri: in atriis tuis Jeruſalem.

Jerusalem quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio: sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.

Propter nomen Domini Dei nostri: quæsivi bona tibi.

Gloria Patri & filio &c.

Psalmus 126.

NIsi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem: frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum:

Ecce hæreditas Domini, filii merces fru-ctus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum.

Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri &c.

Psalmus 147.

LAuda Jerusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te?

Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit Crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: justitias & judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi : & judicia ſua non manifeſtavit eis.

Gloria Patri & Filio &c.

Hymnus.

AVe Maris ſtella ,
Dei Mater alma ,
Atq; ſemper Virgo,
Felix Cœli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis ,
Profer lumen cæcis ,
Mala noſtra pelle ,
Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis ,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos ,
Mites fac & caſtos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes JEsum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus.

Hymnus.

O *Gloriosa Virginum,*
Sublimis inter sydera;
Qui te creavit parvulum,
Lactante nutris ubere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine;
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.
Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida;
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
JEsu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

A Magnificat anima mea &c.

Ad Completorium.

Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam à nobis.

Deus in adjutorium &c.

Pſalmus 4.

CUm invocarem exaudivit me Deus juſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi.

Miſerere mei: & exaudi orationem meam.

Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium.

Et ſcitote quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

Iraſcimini & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris; in cubilibus veſtris compungimini.

Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino, Multi dicunt quis oſtendit nobis bona?

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti vini & olei ſui multiplicati ſunt.

In pace in idipſum dormiam & requieſcam.

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe: conſtituiſti me.

Gloria Patri & Filio & Spiritui S. &c.

Pſalmus 30.

IN te Domine ſperavi non confundar in æternum : in juſtitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

Eſto mihi in Deum protectorem & in domum refugii, ut ſalvum me facias.

Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu : & propter nomen tuum deduces me & enutries me.

Educes me de laqueo hoc quem abſconderunt mihi : quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo Spiritum meum : redemiſti me Domine Deus veritatis.

Gloria Patri & Filio &c.

Psalmus 90.

QUi habitat in adjutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino ſuſceptor meus es tu. & refugium meum : Deus meus ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi : & ſub pennis ejus ſperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus : non timebis à timore nocturno.

A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris : ab incurſu & dæmonio meridiano.

Cadent à latere tuo mille , & decem millia à dextris tuis : ad te autem non appropinquabit.

Veruntamen oculis tuis conſiderabis : & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea : altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum : & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperavit liberabo eum: protegam eum quoniam cognovit nomen meum.

Clamavit ad me & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri & Filio &c.

Pſalmus 136.

ECce nunc benedicite Dominum: omnes ſervi Domini.

Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.

In noctibus extollite manus veſtras in ſancta & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit Cœlum & Terram.

Gloria Patri & Filio &c.

Canticum Simeonis. Lucæ 2.

NUnc dimittis Servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.

Quod parasti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

Gloria Patri &c.

Antiphonæ De B. M. V.

A Dominica prima Adventûs usque ad Purificationem inclusivè.

ALma Redemptoris Mater quæ pervia Cœli,
Porta manes, & Stella maris succurre cadenti,
Surgere qui curat populo: tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum Genitorem,
Virgo prius, ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

In Adventu.

Vers. Angelus Domini nunciavit Mariæ.

Resp. Et concepit de Spiritu Sancto.

Ora-

Oratio.

GRatiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde: ut qui Angelo nunciante Chriſti Filii tui incarnationem cognovimus. Per Paſſionem ejus & Crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Chriſtum. &c.

A Nativitate.

Verſ. Poſt Partum Virgo inviolata permanſiſti.

Reſp. DEI Genitrix intercede pro nobis.

Oratio.

DEus qui ſalutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fœcunda humano generi præmia præſtitiſti tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus per quam meruimus Auctorem vitæ ſuſcipere Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum. Amen.

Post Purificationem usque ad Feriam Quintam in Cœna Domini exclusivè.

Antiphona.

AVe Regina Cœlorum,
Ave Domina Angelorum,
Salve radix, ſalve porta,
Ex qua mundi lux eſt orta.
Gaude virgo glorioſa,
Super omnes ſpecioſa;
Vale ô valde decora,
Et pro nobis Chriſtum exora.

Verſ. Dignare me laudare te Virgo ſacrata.

Reſp. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Oratio.

COncede miſericors DEUS fragilitati noſtræ præſidium: ut qui S. DEI Genitricis memoriam agimus, interceſſionis

ejus auxilio à noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Tempore Paſchali usque ad Octavam Pentecoſtes excluſivè.

Antiphona.

REgina Cœli lætare, Alleluja.
Quia quem meruiſti portare, Alleluja.
Reſurrexit ſicut dixit, Alleluja.
Ora pro nobis Deum, Alleluja.

Verſ. Gaude & lætare Virgo Maria, Alleluja.

Reſp. Quia ſurrexit Dominus verè, Alleluja.

Oratio.

DEUS qui per Reſurrectionem Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti mundum lætificare dignatus es: præſta quæſumus; ut per ejus Genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem, &c.

Ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusivè.

Antiphona.

SAlve Regina Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra salve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrimarum valle. Eja ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria.

Vers. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,

Resp. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

OMnipotens sempiterne DEus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti: da ut cujus commemora-

moratione lætamur ejus pia intercessione ab instantibus malis & à morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Hymnus Ad invocandum Spiritum S.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritâlis unctio.
Tu Septiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus.

Du-

Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium;
Teque utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio qui à mortuis,
surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula, Amen.

In Festo Corporis Christi & per Octavam.

Hymnus.

PAnge lingva gloriosi,
Corporis Mysterium,
Sangvinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.
Nobis datus nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso Verbi semine.

Sui moras incolatus,
Miro clausit ordine.
In supremæ nocte cœnæ,
Recumbens cum Fratribus,
Observata lege plenè,
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ,
Se dat suis manibus.
Verbum Caro panem verum,
Verbo carnem efficit:
Fitq; sangvis Christi merum,
Et si sensus deficit:
Ad firmandum cor sincerum,
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum,
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum,
Novo cedat ritui:
Præstet fides supplementum,
Sensuum defectui.
Genitori Genitoq;,
Laus & jubilatio,
Salus honor virtus quoque
Sit & benedictio:
Procedenti ab utroq;,
Compar sit laudatio.

Hy-

Hymnus

In omnibus Festis B. M. V.

AVe Stella matutina,
Peccatorum medicina,
Mundi es Princeps, Princeps Regina,
Angelorumq́; Domina.
Sola Virgo digna dici,
Contra tela inimici,
Insurge manu, Manu victrici;
Corde precamur supplici.
Clypeum pone salutis,
Tu es titulus virtutis.
Nos firmans locis, locis in tutis:
Hostibus cunctis obrutis.
O decus Apostolorum,
Martyrum & Confessorum,
Pro nobis ora, Mortis in hora:
O Virgo clementissima.
O Sponsa Dei electa,
Esto nobis via recta,
Ubi est vita, Vita perfecta:
Ad eternaq; gaudia, Amen

Alia

Alius Hymnus de B. M. V.

SAnctissima Mater Dei,
Ave fulgens in arce poli.
O MARIA flos Virginum,
Velut Rosa, vel lilium.
Funde preces ad Filium,
Pro salute Fidelium.
Dum venerit Mortis dies,
Detur nobis æterna requies.

Modus orandi pro fidei Catholicæ propagatione, conservatione, & hæreticorum atque improborum omnium ad DEum conversione.

DOmine JEsu Christe ut Ecclesiam tuam sanctam regere & conservare, omnique dissipata pessundata, ac destructa hæresi amplificare, propagare, & ad vitam æternam perducere digneris, te supplices

exoramus, dicentes: Kyrie eleyson; Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Pater noster. Ave Maria.

Ad impetrandum & excitandum Dei in se amorem.

VUlnera cor meum ô dulcis JESU. Vulnera cor meum sagittâ amoris tui: & facias, ut sentiam aliquando, quam svave sit & dulce, amare te ô bone JEsu.

Inflamma cor meum amore tuo ô dulcis JESU! ô mitissime JEsu!

Fiat Domine cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar in æternum. Amen.

Oratio.

DEUS propitius esto mihi peccatori, & sis custos mei omnibus diebus vitæ meæ, DEUS Abraham, DEUS Isaac, DEUS Jacob, miserere mei, & mitte

in adjutorium meum Sanctum Michaelem Archangelum, qui me custodiat, protegat, foveat, visitet atque defendat ab omnibus inimicis visibilibus & invisibilibus, carnalibus, spiritualibus, & temporalibus. Sancte Michael Archangele defende nos, ne pereamus in tremendo Dei judicio. Sancte Michael Archangele per gratiam quam meruisti habere, te deprecor & per Unigenitum Dominum nostrum JESUM Christum ut eripias me ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris, intercedente etiam apud DEum gloriosissima Virgine Maria cum omni societate cœlesti. Sancte Raphael, omnes sancti Angeli & Archangeli DEI, succurrite mihi peccatori: precor vos omnes Virtutes Cœlorum, ut nullus inimicus mihi nocere possit, nec in via, nec in aqua, nec in igne, nec in domo, nec ultra domum, nec eundo, nec redeundo, nec vigilando, nec dormiendo, nec comedendo, nec bibendo, nec aliquid faciendo. Ecce signum Crucis DEI nostri JESU Christi, fugite par-

tes adversæ, Alleluja. Salvator noster, qui per sangvinem tuum & Crucem salvasti mundum, salva me hodie, & omnibus diebus vitæ meæ. Agios ô Theos, Athenatos. O Crux Christi adjuva me. O Crux Christi defende me. O Crux Christi salva me, in omnibus diebus vitæ meæ. In Nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus Sancti. † Amen.

Oratio ad omnes Sanctos Cœlites.

O Boni Angeli curam hominum continuo habentes, attendite ministerium vestrum ad custodiam nostram dirigentes cogitatus, verba, & actus nostros in viam salutis & prosperitatis, ut mandatorum Dei voluntarii cultores numerum vestrorum Ordinum (qui casu Luciferi diminutus est) valeamus divina largiente misericordia adimplere feliciter.

Alia

Alia ex Antidotario N. Saliceti.

OMnes SS. Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus, & Poteſtates, Virtutes, Cherubim, & Seraphim omnia agmina Beatorum Spirituum, fundite pro me preces ad Dominum ut me liberet à peccatorum vinculis, & illuſtrare dignetur virtutum ſtudiis, & defendat ab adverſitatibus cunctis & poſtremo jungat me veſtris ſanctis conſortiis. Amen.

Benedicat & cuſtodiat nos omnipotens & miſericors Dominus: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis. Amen.

Dein-

Deinde facto signo S. Crucis in fronte: Initium S. Evangelii secundum Joannem, recita in hunc modum.

IN principio erat Verbum: & Verbum erat apud DEUM: & DEus erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à DEO, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine: ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri: his qui cre-

dunt

duñt in Nomine ejus. Qui non ex ſangvinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate Viri ſed ex DEO nati ſunt. Et VERBUM CARO FACTUM eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis. Deo gratias.

FINIS.

[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]

Pro [illegible]
Pro [illegible]
Pro [illegible]
Pro [illegible]
Pro [illegible]

Pro [illegible]
Pro [illegible]
Pro [illegible]

[illegible]